NAZ.
le III

LVI
E.
33.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVI
E
33
NAPOLI

# Nicolai Bvrgvndi IC.

Cæſareæ Majeſtatis Electoriſque Bavariæ Conſiliarii, Comitis Palatini, nec non in Academia Ingolſtadienſi Cod. Prof. ordinarii,

# HISTORIA BAVARICA,

Sive

# LVDOVICVS IV. IMPERATOR.

Iuxta exemplar impreſſum Ingolſtadii anno 1636.

NICOLAI BVRGVNDI I. C.

Sacr. Cæſ. Majeſt. Electoriſq; Bavariæ Conſiliarii comitis palatini, nec non in Acad. Ingolſt. Cod. Profeſſ. ordinarii,

# HISTORIA BAVARICA,

ſive

# LVDOVICVS IV. IMPERATOR.

## LIBER PRIMVS.

LVDOVICVM BAVARVM Imperatorem aggredior, per adverſa & proſpera jactatum ad culmen, & nunquam à fortuna quietum: inſignem tamen in bello victoria, in pace diſcordiis. Non deſunt præclara ingenia, qui anteriorum principum res ſincere complexi ſunt. Sed hic hæſit deprehenſa libertas. Quaſi nefas ſit principum vitia ad poſteros mittere; ſua tamen ſponte itura. Semper erunt aſſentantium agmina, quæ humani generis conſcientiam proſcribent. Hoc majores queſti ſunt, nos querimur, querentur poſteri. Cæterum in hac hiſtoria largiſſime peccatum eſt à multis. Quidam ſucceſſorum metu cauſas in adulationem corrumpunt. Alii maligna prævaricatione ex amore vel odio partium famam intemperantius dividunt. Plures ſuperſtitioſa pietate Romanum Pontificem tanquam hominem, communibus principum vitiis timuerunt exponere. Hinc procacia maledicendi ſtudia, tantum non inſignia Imperii, ſed & bonam prope mentem abſtulere Ludovico, atque etiamnum malevolentiæ ſtilis confodiendum objiciunt. Stetit tamen inconvulſa veritas tot telis petita: quam & ego incorrupta fide, cum invidia luctaturus profiteor. Sed qualis fuerit Germaniæ ac Bavariæ ſtatus ea tempeſtate, prius tranſiliendum eſt, quam ad inſtitutum veniam.

Germania labente jam Romano imperio, per totam fere Europam ſe diffuderat: ac tot populorum exundatione propemodum exhauſta,

partim Sclavis ceſſit in prædam, partim in ſurgentium Francorum poteſtatem tranſiit. Per hos ſtatim Alemanni correpti ſunt à Voſego monte, ad Danubium porrecti. Inde Turingorum partem quam Mœnus interfluit, de ſuo nomine dixere Franconiam. Hinc paullatim ulterius itum: quoad Carolus Magnus, quidquid fere Germanici ſpiritus reſiduum erat, victoriis oppreſſit, pervicaceſque animos Chriſtiana religione mitigatos, conſtanti fide in obedientia continuit. Fortunam ejus excepit Ludovicus cognomine Pius. Huic tres ſucceſſere liberi; Lotharius in Auſtraſiam Burgundiam, Provinciam Italiam; Carolus Calvus in Neuſtriam, ſive Galliam occidentalem; Ludovicus in Germaniam. Fatiſcente autem poſteritate ejuſdem Ludovici, cum reſidua Pii domus torperet in Gallia, Germani reſpexerunt ad libertatem, creatoque rege de ſuo corpore, nomen & inſignia Romani imperii cum ipſa Italia ad ſe traxerunt. Poteſtas regia, qualis ſub Carolo Magno ſteterat, nulla Optimatum potentia delibata, nulla æmulatione corrupta, ad ſui reverentiam omnes intenderat. Conſenſus procerum diadema conferebat, reliquam nobilitatem in comitiaparteſque trahentium. Sed Otto Tertius periculoſum id ratus, ſex inſtituit Electores, Archiepiſcopum Moguntinum, Colonienſem & Trevirenſem, Bavariæ & Saxoniæ Duces, Marchionem denique Brandeburgenſem. Quibus poſtea acceſſit Bohæmus: ne, quod futurum aliquando timebatur, pari numero diviſa ſuffragia in civile bellum erumperent. Neque cæteri principes eum rerum ſtatum abnuebant; quibus integrum erat communi conſenſu nominare regem, quem ſeptemviris eligendum proponerent. At vero his in unum aliquem non conſentientibus, vel negligentibus ſponte adeſſe tum demum Electores jus ſuum exercebant liberis ſuffragiis. Provinciarum habenis Duces admovebantur: Comites juriſdictioni præerant, dignitatis gradu officioque diſtincti. Marckgravii (quos vulgo Marchiones appellant) in limitibus regni curam agebant. De vectigalibus cognoſcebant Palatini in ſingulis provinciis. Landtgravii per populos, Dincgravii per urbes pagoſque jura reddebant. Regiis arcibus Burggravii imponebantur, certis territoriis ad tutelam inſtructi. Hæc officia perſonalia erant, quamvis jure beneficii indulta. Quædam tamen deſcendebant ad filios, rara ad poſteros. Quoties bellum ineundum erat, non miles ſtipendio emptus propellebatur in caſtra: ſed vaſalli edicto citati, ſubinde & plebs ſuis ſeſe aggregabat Comitibus. Ipſi Comites juſſa Ducum; regis imperium Duces ſequebantur. Vectigalia omnia cedebant ærario, ad tolerandos regiæ ſumptus, ad aſſerendum ſplendorem majeſtatis illo quidem ſæculo ſufficientia: cum adhuc ignota

luxu-

luxuria, inter virtutes frugalitas reponeretur. Neque tamen materia ad liberalitatem deerat, neque homines qui promererentur. Alii diuturno obſequio Epiſcopatus opimaque ſacerdotia in aula venabantur; alii aſpirabant ad Comitatus, præfecturas, & ejuſmodi beneficia nihil domino auferentia: quæ abunde vacua in tanto imperio ſolius imperatoris arbitrio reſervabantur. Hoc erat obſequii præmium, hæc remuneratio virtutum ad militarem gloriam nitentium. Hæ denique regiæ vires, & tacitum quoddam in omnes Imperium. Poſtquam autem exciſi ſunt illi nervi poteſtatis, Germanica potentia hactenus robuſtiſſima, & in terrorem orbis elata, paullatim emarcuit, & ex legitimo regno in principatum tranſiit. Primus Otto Tertius vires ejus accidiſſe creditur, Conrardus Salicus enervaſſe. Ille Electoralia beneficia hereditaria fecit, hic reſidua. Sed hæc decerpti imperii clades necdum omnem reverentiam excuſſerat. Quippe adhuc in obſequio epiſcopi potentiæ ſuæ terrorem contumacibus objiciebant. Vbi vero Pontifex Maximus Epiſcopatuum collationes non ſine magna tempeſtate detraxit faſtigio, tota virium moles exhauſta eſt. Æquum quidem videri poterat ſuo jure frui Eccleſiam: veruntamen cum priorum regum liberalitas in tantas eam opes extuliſſet, jus ſaltem patrônatus ſuis auctoribus relinqui debuerat, quod cætera Europæ faſtigia adhuc retinent in ſui ſceptri ſecuritatem. Reſpublica enim non poteſt ſtare in tuto, ubi eminentiores in dignitate fortunam ſuam alteri debent quam Principi. Sed in parte conſilii fuit tantam molem artificioſe deprimere, Pontificum cervicibus gravem, æmuliſque ſuſpectam. Hoc vinculo potentiæ abrupto, cum inter impares tumultus gemeret depreſſa majeſtas, & cæteri principes incuria, pigredine vel deſperatione concordiæ, vel ſumptuum magnitudine abſterriti comitia omitterent, multum ſeptemviris crevit ad dignitatem, quibus libera jam cedebat electio: haut dubie majori utilitate, ſi plus reipublicæ, quam ſuis vel alienis tribuiſſent affectibus. Cæterum Eccleſiaſtici Electores, nullo amplius beneficii vinculo, nullo amicitiæ nexu Imperatori obſtricti, inter corruptos ſæculi mores paulatim intumeſcere, faſtigio illudere, rerum arbitrium, publica fata in ſe transferre, principatum abdicare pro libidine, nemine adverſante: cum ferociſſimi procerum in partes, cæteri terrore, vecordia, poſtremum & pecunia averterentur. Inde tot Imperatores præcipitati de culmine; alii in turbas factioneſque diſtracti. Imperium vero ipſum continuis agitatum Pontificum procellis, fœde nundinationibus expoſitum: donec ad ultimum exterarum gentium ludibriis evileſcens, omne decus majeſtatis amitteret. Magnatum potentia cum percelli

 am-

amplius non poſſet in formam principatus adulta eſt. Nobilium animi ab Imperatore averſi: nam & locus referendæ gratiæ in aula deerat, ignavumque ocium infructuoſæ militiæ præferebant, languentibus per diſcordiam legibus quæ feuda eriperent bellum detrectantibus. Liberorum multitudo quam militia exonerare conſueverat, propiori ſpe & utilitate, propellebatur in Eccleſiam, venatura Epiſcopatus ſacerdotaleſque dignitates. Vrbes denique Imperiales inter Pontificum imperatorumque diſſidia & fœdam tempeſtatem illorum temporum erigentes ſupercilium: deinde inter ſe fœderibus collectæ, ſpeciem quoque libertatis induerant, qua ſucceſſu temporis intemperantius abuterentur in auctores ſuæ felicitatis. Sic miſer Imperator publicis undique viribus exutus, ſuo vel amicorum præſidio cogebatur tueri ſacratiſſimam dignitatem, interque ſummam poteſtatem & precarium imperium, ſpeciem magis principatus quam vim retinebat. Hic Germaniæ ſtatus fuit.

Bavaria olim ſub regibus ad Italiæ fines pertinuit. Qua Alpes incurrebat Sudergoia vocabatur. Poſt hæc ducibus commiſſa, in tres duntaxat ſeceſſit regiones, Orientalem, Occidentalem, & Septemtrionalem. Orientalis in Norico ſita, Anaſo flumine tunc quidem ſeparabatur ab Vngaris; inde ad Oenum amnem excurrens utraque Danubii ripa à tergo lambitur. Detorto in Latinitatem vocabulo Aûſtriam appellant: quaſi dicas regnum Orientale. Sed à Frederico primo Bavaricarum gentium communioni exempta, in novum principatum tranſiit. Occidentalis ab Oeno ad Lycum amnem porrigitur, Vindelicia dicta à Romanis. In ea ſola hodie acquieſcit Bavariæ nomen. Iſera flumine in ſuperiorem inferioremque diſtinguitur. Septemtrionalis à Danubio ad Bohæmos longe lateque ſe diffundit, Nariſcorum olim ſedes: deinde à Bojis occupatam Nortgow ſive Nortgoiam dixere; quod Germanico idiomate pagum ſignificat Aquiloni obverſum. Superiorem Palatinatum vulgo indigitant. Sic igitur ducatus Bavariæ in duas regiones contractus, multum perdidit de priſtina magnitudine. Adhæc ſparſa huc illuc Comitum potentia, principatus nervos propemodum exhauſerat, quam ſucceſſu temporis in ſuum revocavit corpus deficientium paulatim ſtirpium ſucceſſio. Cæterum Henrico Leone pulſo Fredericus Primus Ottoni Magno Wittelſpacenſi in honorem virtutis Bavariam tradidit, unde majores ejus quondam exciderant. Soboles deinde Ludovicus excepit, qui Palatinatu Rheni auctus Ottoni filio habenas contulit. Excepere Ottonem duo filii Ludovicus cognomine Severus, atque Henricus. Ab his primum Bavarica potentia, tanquam privatæ ſortis hereditas, in partes diſtracta eſt. Palatinatus Rheni cum ſuperiori

Bava-

Bavaria ceſſit Severo. Inferior cum majori parte Nortgoiæ Henrico delata eſt. Electoratus vero ſub communi ducis titulo utrique communis. Tranſactione deinde facta conveuit ut Electoratum Henrico mortuo ad Severum perveniret ejuſve liberos. Duo erant Henrico adulti filii, Otto & Stephanus. Totidem maſculi ſucceſſere Severo, Rudolphus, & Ludovicus admodum impubes. Rudolphus ſuperiori Bavaria fratri tradita Palatinatum Rheni ſibi corripuit. Adultus autem Ludovicus, diviſionis inæqualitatem arguere cœpit. Diſcordia in bellum exitura tranſactione ſopita eſt. Conditiones dictæ, ut indiviſa eſſet paterna hereditas. Palatinatum Rheni communi nomine Rudolphus adminiſtraret; Ludovicus vero ſuperiorem Bavariam; Electoratus Bavaricus tota vita Rudolpho cederet, inde perventurus ad Ludovicum: eoque defuncto, ex utriuſque liberis ſenior eligeret. Et hic eſt ille Ludovicus unde nobis principium hiſtoriæ.

Henrico Septimo in Italia ſublato principatus electio varios animorum motus in Germania conciverat. Imperium palam affectabat Fredericus Auſtriacus, Alberti Cæſaris filius, principumque formoſiſſimus ſuæ ætatis: qui paternis avitiſque titulis ſplendens, geniique magnitudine erectus ad magna, fortunam penatibus ſuis egreſſam, largitione, ambitu, poſtremum & vi moliebatur retrahere. Carolo Hungariæ regi proximo cognationis vinculo annexus erat. Roberto regis Neapolitani filio Catharinam ſororem matrimonio dederat. Eliſabetham Arragoniæ regis filiam ſibi deſponderat. Inter tot clariſſimas neceſſitudines altorum & ipſe ſpirituum tenens, ambiguos adhuc Electorum animos, variis artibus ſubruebat, & quaſi venale licitabatur imperium. Rudolphus Palatinus & Rudolphus Saxo ejus amitimi largitionibus corrupti. Henricum Vernoburgium Colonienſem Archiepiſcopum in partes traxit oſtentatione affinitatis. Henrico enim fratri uxorem pepigerat Archiepiſcopi neptem ex fratre genitam. Nam qua fiducia ſua jactabat, eadem quoque aliena promittebat. *An. MCCC XIII. XII. Kal. Sept.*

Cæterum Petrus Moguntinus Archiepiſcopus & Ioannes Bohæmiæ rex Henrici Septimi filius, ex adverſo nitebantur. Moguntinus implacabili odio in Auſtriacos, Alberti Cæſaris injuriam concoquere non poterat. Ioannes rex ſceptri ſui ſecuritati ſtudebat, fœderibus turbatus quæ in necem ejus Fredericus contraxerat cum Henrico Carinthiæ duce. Timebat enim, nec immerito, ne Auſtriacus imperii compos, vel aſſereret ſibi Bohæmiæ ſceptrum, vel Henricum ducem armata manu in poſſeſſionem reduceret. Quippe Henricus dux acerrime contenderat, ſibi potiſſimum uxorio nomine deberi Bohæmiam. Denique Fre-

dericum Auſtriacum Rudolpho fratri ſucceſſorem datum inde repulerat. Deinde ipſe Henrici Septimi armis deturbatus, eoque vivo Ioannem filium diademate evinctum turbare non auſus, regis tamen titulo hautquaquam abſtinebat. Hæ ſunt cauſæ quæ Moguntinum & Bohæmum maxime ſtimulabant in Frederici repulſam, quamvis publicæ utilitatis larva tegerentur. Balduinus Archiepiſcopus Trevirenſis cum his conſentiebat Ioannis regis frater, Moguntino chariſſimus. Præterea Waldemarus Brandeburgicus Elector ſollicitabatur in partes: inflammante Moguntino & per legatos identidem ingerente; Fredericum contra fas, contra leges, contra majorum mores infami largitione cauponari faſtigium. Necdum Imperatorem eſſe, & ſe pro imperatore gerere. Percuſſiſſe fœdus cum Roberto Neapolitano rege, Guelforum factionibus Italiam turbante, Henrici denique Imperatoris ſententia proſcripto. Non ferendam illam proterviam qua rebus illuderet privatis auſpiciis, ſoloque titulo Cæſaris abſtinens, re ipſa dominationem invaderet: quaſi nemo alius eſſet, qui poſſet vel deberet imperare. Venderent alii ſuffragia ſua, peſſimo medius fidius exemplo: documentum tamen ſtatui poſſe, debitum eſſe virtutibus imperium, modo ipſe quartus accederet tribus Electoribus qui ad alium reſpicerent Frederico repulſo. Id vero ſibi glorioſum, etiam apud poſteros valiturum. Addebant præterea, periculum eſſe, ſi quando ille ad Imperium aſſurgeret, ne cruoris imbre Germania fœdaretur civili bello in ſe diſtracta. Ioannis regis caput exitio devotum ſine magna tempeſtate multorumque ruina concuti non poſſe. Satius eſſe procellam hanc antevertere conſiliis, & communi ſuffragio tranquillitati conſulere. Quaſſatus his Waldemarus & ipſe obliquus adverſus corruptelam, iiſdem ſe partibus occulte attribuit. Nemo quidem adhuc unus deſtinabatur imperio, Ludovicus tamen Bavarus omnium oculos in ſe defixerat.

Ea res ſive quorundam ſermonibus jactata, ſive tantum ſuſpecta fuit, non in totum fefellit Auſtriacum, conjicientem tale aliquid agi. Alienos à ſe noverat trium Electorum animos, de Brandenburgico ambiguus: qui ambientis ſpem ſimulatione ſuſpendens, ſtudia ſua callidiſſime premebat. Itaque non immerito perplexus, ſi cum tanto æmulo componeretur, mature Ludovicum ambire conſtituit: ut ſi gratia flecti non poſſet promiſſis aut pecunia averteretur. At ille, nihil minus quam imperium cogitans, Fredericum ſecurum eſſe juſſit. Nec ſe ambire faſtigium, nec, ſi deferretur ultro, accepturum affirmans. Non queri de fortuna ſua. Plures poſt ſe principes relinquere, quam quos poſſet antecedere. Satis gloriæ relicturum, ſi exemplo ſuo doceret poſteros, tranquilla &

ſecu-

ſecura turbidis & ancipitibus præferre. Didiciſſe in exiguo principatu, quam graves curas attraheret imperium. Simul his porrectam dextram Frederico offert, & Gratulor, inquit, quod per paterna avitaque veſtigia nitaris ad culmen rerum humanarum. Voveo tibi fauſta omnia, operamque tibi ſpondeo meam. Communem tecum avum numero. quidquid tibi ornamenti acceſſerit in gloriam quoque meam vertam. Hæc ut non in ſpeciem verbis adumbrata, ita penitus ſentire credebatur. Nam & Germanicus candor, & in ſinceriſſimo pectore ſpectata modeſtia, omnia ſuſpicionum veſtigia deleverat: gratias reponente Frederico, quod ſe adjutum vellet, ſibi denique curæ fore ut beneficium in memorem collatum compereret.

Poſt hæc Septemviri Francofurtum vocati ſunt, ad præſtituendum diem habendis comitiis, quæ diſcordia hactenus extraxerat. Aderant Moguntinus & Treverenſis ad conſtitutum; cæteri Principes dimiſerant legatos; unoque conſenſu indictus eſt dies electionionis XIV. Kal. Novemb. Cæterum digreſſis reliquis Moguntinus & Trevirenſis cum legatis Bohæmiæ regis ac Ioannis Saxoniæ ducis, iniere couſilium, cui rerum ſumma optime crederetur. Brandeburgicos legatos non admiſcere placuerat huic ſecreto; qui pro Henrico Waldemari patruo venaturi ſuffragia, favorem ejus modeſte inſinuaverant Archiepiſcoporum animis, atque inter ambitioſa vota pendentes cum bonis verbis domum ſe receperant. Cæterum Henricus ſenex invalidus, & modica potentia inidoneus videbatur ad tempeſtates, quas futura diſſidia videbantur promittere. Nec deerant alii meliores, qui huic ſpei deſtinarentur. Omnia tamen circumſpicientibus, nemo potior viſus eſt Ludovico Bavaro. Sciebant enim pace clarum & bello, religione ſanctiſſimum, & ſuper omnia Frederici victorem. Spes etiam ſuberat, Rudolphum Palatinum Frederico relicto, fraternis ſe partibus agglomeraturum: ſimul & metus, ne alio electo Ludovicus ipſe accederet Auſtriacis, propinqui ſanguinis contumelia aſperſus, ulturuſque repulſam. Maxime tamen anxii erant, ne vel ob modeſtiam animi, vel amore in Fredericum, aut metu impendentis tempeſtatis periculum defugiens, tantæ moli cervices ſubtraheret. Optimum viſum explorare prius animi ejus incertitudinem, conſilium ex eventu ſumpturis. Miſſi igitur ſummi viri conſenſum Principum ad eum deferunt, hortantes ut intra domum fortunam reciperet, quam electores Principes præclaris ejus virtutibus & amore reipublicæ impulſi, ambientibus aliis quieſcenti offerrent. Ad hæc verba ille pauliſper ſubſtitit, mente ut videbatur perculſus: collecto deinde animo, Agetis, inquit, gratias Principibus

An. MCCCXIV.

pibus electoribus meo nomine, quod inter tot Germaniæ proceres, me potiſſimum judicaverint imperio dignum. Honorem illum non promerui, pudori meo gravem. Aliam gratiam referre non poſſum quam ut agnoſcam benevolentiæ magnitudinem, paratus in cæteris omnibus quæ imperaturi ſunt morem genere; ſed quantum ad faſtigium attinet, nec votum eſt nec animus. Liceat mihi ſalva pace hoc unum excuſare quibus nihil negare debeo, molemque iſtam à me avertere. Non quia publicis commodis quietem antehabeo: ſed quia idem reipublicæ conducere exiſtimo. Majus eſt onus quam capite ſuſtineam meo. Neque adhuc ſatis ſcio quid in me tantopere ſuſpexerint, ut ad regnum ultro acciri debeam. Vel eos fama decepit, vel nimia benevolentia credulis impoſuit. Virtutem enim quam prædicaſtis non agnoſco. Vtcumque vero hæc adſit, ſola tamen ad Germanicum imperium non ſufficit, niſi digna quoque potentia accedat. Nam neque quies ſine armis, neque arma ſine ſtipendio haberi poſſunt, depreſſaque jacet ſine viribus majeſtas. Permittamus cæteris populis ex virtute regem ſumere, qui cum purpura & ſolio, vires omnes in electum transferunt. Princeps in Germania habendus eſt, qui non ſolum mereatur amari, ſed etiam ante fortunam timeri potuerat. Ego cum ærario meo calculum poſui, virium mearum infirmitatem menſus ſum. Ex tota Bavaria portionem vix tertiam poſſideo. In tantilla provincia majeſtas ſe pro dignitate explicare non poteſt. Opes hæ ad ſplendorem & donativa non ſufficiunt. Ruet in me imperium, pro quo in ipſis ſtatim auſpiciis luctandum eſt. Fredericus Auſtriacus ſpem principatus altiſſime imbibit. Clientelis & factionibus valet. Palatinus Colonienſis & Saxo in partibus. Regem Bohæmiæ quem vobiſcum ſtare creditis, ipſe quoque ſibi vindicat. Incerta igitur procerum ſuffragia & contrariis ſtudiis deducta parturient nobis duos principes, qui nec cedere invicem volent, nec tamen poterunt ambo imperare. Quis autem dirimet, uter vitio creatus ſit, niſi gladius? Ergo inundandi erunt civili ſanguine Germaniæ campi, concutiendus terrarum orbis in duorum amentiam pro purpura furentium. Ego quidem electorum prudentiam non ſollicito. Si tamen me audire vellent, juberem potius ad Fredericum reſpicere, quam obſtinata partium defenſione in diſcrimen adducere tranquillitatem publicam. Quid enim in illo tantopere deſpiciunt quod ſceptrum dedeceat? A majorum virtute non degenerat. Armis pollet & viribus. Genus, forma, ætas, & cætera abunde quæ reverentiam populi conciliant. Si quis privato odio in eum ſtimuletur, honeſtum erit publicis utilitatibus inimicitias ſubmittere. Confundebantur legati inexſpe-

ctato

ctato verberati ictu, nec minus ſtupebant ad magnitudinem animi tam pervicaciter faſtidientis imperium, quam alii per ignes ferrumque appeterent. Deinde iterum orare cœperunt ne extraheret deſideria procerum haut alium ſibi imperatorem deſtinantium. De potentiæ infirmitate fruſtra queri, à quo ſcirent Fredericum prælio victum. Sed neque olim multis principibus, neque Henrico Septimo obfuiſſe nuper, quo minus Germaniam omnem teneret perculſam reverentia ſui: cui tamen ipſe opulentia non cederet, majorum imaginibus longe præſtaret. Satis validum eſſe quiſquis timetur à ſuis. Potentiam in obſequio parentium ſitam, quod ipſa majeſtas plerumque conciliat. Auſtriaci apparatus ne extimeſceret. Famam omnia in majus perducere. Venienti tantum occurreret fortunæ. Quod ſi adhuc repugnaret ille, Bohæmum ſtrenue adfuturum cum armis. Secutura Moguntini Trevirenſiſque auxilia. Horum vires non adeo deſpectas ut adverſariorum pervicaciam deterrere nequeant, & ab iratis pœnitentiam exprimere. Quod ad Ioannem Bohæmiæ regem pertineret, haut dubie electorem eſſe. Sed Fredericum ad artes confugere, quibus amoliretur inimicum à comitiis vel ſuſpectum ejus ſuffragium faceret, ſuos tamen Principes nunquam inducturos in animum, ut ſupra ſe Fredericum collocent. Vera hæc eſſe ſentiebat. Sed hinc data Frederico fides, hinc manſuetudo pene ad vitium prolixa animum ejus à regni cupiditate prorſus abſtulerant. Ergo in recuſando perſtabat. Et quoniam inquit nihil per modeſtiam proficio, ſimpliciſſime jam vobiſcum loquar. Scitis Fredericum mihi conjunctum arctiſſimo ſanguinis fœderiſque vinculo, & quod utroque potentius eſt, fidem illi obligavi meam. Quid igitur vultis me facere? Imperium ut videtis ſine ſcelere accipere non poſſum. Neque me decere arbitror jus gentium violare perfidia: neque principes electores velle ut nequitia polluam conſcientiam meam, & ſub proditionis invidia vapulem à populo. Privati ſacramento promiſſa ſanciant. Nobis illa cautio exuenda eſt. Sola pollicitatio ſufficit. Fluxa fides principe indigna eſt. Plura philoſophari volentem interpellat legatorum princeps in iram verſus; & Scias, inquit, imperaturum te aut moriturum. Vtrum id domo attulerit, non traditur ab Abbate Fuſtenfeldenſi ſcriptore coætaneo à quo hæc deſumpſimus. Exhorruit tamen Ludovicus ad hanc vocem, mortiſque metus & in vultu ardens dicentis atrocitas conſtantiam omnem turbato eripuit. Animum deinde laxans in periculi cogitatione pauliſper defixum: Ite ergo, ait, & renunciate dominis veſtris, quando ita è republica videtur, fore me in poteſtate, præſtoque Francofurti adfuturum.

His ad ſe relatis Proceres læti conventum diſſolvunt, hautquaquam dubii comitia exitura in turbas & tumultus, ni fatorum miſericordia præveniret diſcordias. Nam in tanto certamine pro principatu, pares quoque de jure ſuffragii factiones exarſerant. Henricus Carinthius palam ſe ferebat Bohæmiæ regem, ſuique rationem in comitiis volebat haberi. Ex alia parte Ioannes Saxoniæ dux duobus prioribus comitiis repulſus, nunc in Moguntini partes ſecedens, ad electionem ſibi quærebat aditum, quem principum diſcordia reſeraturum promiſerat. Nec deerat ſpecies æquitate pleniſſima. Quippe ea tempeſtate, principes omnes ejuſdem familiæ pari jure ſeptemviratu fruebantur, donec pactis aut diviſionibus à communione exciderent. Itaque Ioannes Alberti Secundi Saxoniæ Ducis frater junior ætate, cum filio ejus Rudolpho Primo acerrime diſceptabat, prædicans ad ſe rediiſſe vices electionis: quia Henricum ſeptimum Rudolphus elegerat. Sunt qui & æmulum objiciant Waldemaro Brandeburgenſi: ſed tamen neminem nominant. Illud certe ex diplomatibus conſtat, Ottonem & Waldemarum fratres in electione Henrici Septimi communi jure tuliſſe ſuffragium. Dein Ottone mortuo Waldemarum ſtetiſſe à Bavaro, & non multo poſt totam gentilitatem cum ipſo extinctam. In ſumma certatim explicabantur factiones, tantumque ſibi virium quæque ſumebat, quantum alteri adverſus quam parabantur, acceſſerat. Stabat interim in medio reſpublica, bellum exſpectans in quamcumque partem inclinaſſet ſceptrum. Fredericus enim haut obſcure vires contrahebat; adverſariorum conſilia turbaturus ferro, & quemcumque æmulum fortuna dediſſet, paratus dejicere. Nec contraria factio ceſſabat ex adverſo præſidia ſtruere, vim propulſatura, ſi quam Fredericus auderet inferre.

Appetente igitur comitiorum die Moguntinus & Trevirenſis Francofurtum procedunt egregia militum manu ſuccincti, quam ex ſuis amicorumque clientibus ſedulo effecerant. Sequebantur denique Luxenburgenſium turmæ, à Ioanne Bohæmiæ rege convenire juſſæ ad vexilla, qui Comitatum Luxenburgenſem inſederat. Sed & illum ex Bohæmia motum, comitabantur aliquot nobilium cohortes nationis ejuſdem, venienti & diſcedenti præſidium. Waldemarus Brandeburgenſis nullos quidem adducebat armatos; cæterum rei quæ cum Bavaro acta erat ignarus, habebat ſecum Henricum patruum, imperium illi moliturus; ne alio nemine candidato emicante accipiendus eſſet Fredericus in dominum.

Cæterum ea tempeſtate comitia extra mœnia conſueverant haberi, qua

qua oppidum in ſuburbia deſinens foras ædificia porrexerat. Veteres appellabant campum; retinebatque nomen re mutata. quippe olim planities fuerat: populo necdum in eam multitudinem exundante, ut murorum anguſtiis claudi non poſſet. Hic vetus Regia erat, in quam Septemviri conveniebant ſuffragia laturi, ceſſuram deinde deſignato Cæſari in hoſpitium. Quamdiu Principes in electione occupati erant, clauſæ manebant portæ civitatis: eadem peracta, aperiri jubebantur, miſſis delegatis qui monerent magiſtratus Electum intra mœnia recipere. Poſt hæc ille dicturus ad aram ſacramentum producebatur in templum à tota nobilium turba & Septemviris, cum ſuis quiſque inſulis & inſignibus dignitatis. Ad veſtibulum fani excitatus erat ſuggeſtus inſtar ſcenæ, in quem ſolemni carmine decantato prodibat Electus cum pompa: mediuſque Septemviris præſentabatur circumſtanti multitudini à Moguntino, renunciati regis gaudia convenientibus verbis mittente in publicum.

Iam Moguntinus & Trevirenſis occupata ſuburbia armatis compleverant: cum ſucceſſit Fredericus Auſtriacus multis & ipſe militibus ſtipatus. Aderat ei Rudolphus Palatinus cum Henrico Carinthio. ſed poſtquam intellexit intus eſſe, qui auderent venienti obſiſtere, in adverſa Mœni ripa Saxenhauſium occupat. Rudolphus Saxo & Archiepiſcopus Colonienſis in eadem ſeceſſere caſtra. Hæc res turbavit Francofurtenſium animos exſpectatione ſuſpenſos, quem exitum habitura eſſent comitia factionibus diſtracta, & quo tandem illa vis erumperet. Itaque armatos per mœnia & portas denſius ſparſos intentiore cura vigilias agere jubent, ne tacitæ inſidiæ proderent urbem, aut improviſus impetus incautam opprimeret. Frequentes interim nuncii à proceribus ultro citroque commeantes iter ad concordiam quærebant. Sed obſtinati erant partium animi. Et cum eundum eſſet in comitia Auſtriacarum partium nemo adeſſe ſuſtinuit. Conſultatum eſt, utrum peragenda eſſet electio, an ſpatium aliquod factioſis concederent, quo ſe à novarum rerum faſtidio ad pœnitentiam reciperent. Alii progrediendum eſſe cenſebant, fruſtra enim opperiri, quos ſcirent non eſſe venturos. Legatis heri miſſis ſuperciliose reſpondiſſe, haut unquam ſe intra ſuburbia veſtigium poſituros abſque armatis, quos inter inimicorum inſidias ad tutelam corporis adduxerant. Niſi pervicaces eſſe pergerent tam vana metus ſimulatione hautquaquam ſibi fuiſſe illuſuros. Alii è contra prorogandum eſſe diem putabant, ut judiciorum more contumaces redderentur, qui præcipitatis ſuffragiis comitia tanquam minus legitima invidioſe proſcriberent, traducerentque ad populum.

pulum. Parum denique rite Rudolphum Saxonem & Henricum Carinthium excludi poſſe à ſuffragiis indicta cauſa. Vocandos eſſe, qui diſputarent de jure eligendi ut ſe collegio ſiſterent, ne quid de conſuetudine pereat: ſcituros ſi venire contempſerint, præſentibus ſe adverſariis vindicias daturos. In hanc ſententiam iri placuit. Dicta eſt dies XII Kalend. Novemb. At pari contumacia Auſtriaci tergiverſabantur, acrius accenſi, quod tanquam à legitimo collegio juſſi eſſent cauſam dicere. Itaque cum nihil amplius obſtaret, itum eſt in ſuffragia, peractiſque ſolemniis Moguntinus, Trevirenſis, Ioannes Saxo, Ioannes Bohæmus & Waldemarus Brandeburgenſis in palatio clauſi, conſpirantibus ſuffragiis Ludovicum Bavarum Imperatorem deſignant. Modeſtiam ejus vel hæc una res poſſet oſtendere. Quippe delatum ſibi non prius admiſit imperium, quam didiciſſet à prudentioribus, nulla ſe religione obſtrictum, quod Frederico ambienti ſpopondiſſet operam. Publica interim exſpectatio circumſtabat veſtibulum ſecreti impatiens. Erecta erant ſtudia invicem interrogantium, quid ſubito accidiſſet, quod ſapientum conſilium tantopere exigeret. Variæ ſpargebantur conjecturæ, & fere incertæ: cum apertis foribus in populum ſpargitur deſignatum eſſe Ludovicum Bavarum: qui ſequenti die proceſſit in urbem, ſublimius aliquid vultu ſpirans in majeſtate faſtigio digna. Conjectis in eum omnium oculis, nihil ipſe animo motus, peractis ſolemniis in palatium reducitur. Denſa oppidanorum turba compleverat vias ſpectandi avida novum regem. Nec ſatis poterant arceri ruentes à ſtipatoribus, gemino ordine ſequenti pompæ viam pandentibus. Ingens plauſus tollebatur in cælum Ludovico gratantium. Quippe nihil in ipſo tumidum, nihil arrogans, facilis aditu, ſermone affabilis, nec mutati cum fortuna mores pronam vulgi benevolentiam collegerant. Senatus denique nihil moratus, novo principi ſacramentum dixit.

At longe alia facies in Frederici caſtris; quæ populus in urbe lætitia & acclamatione fervens utcumque turbaverat. Poſtquam autem relatum eſt Ludovicum Bavarum potiri imperio, militum animi haut obſcure nutare cœperunt. Multi enim Auſtriaco acceſſerant, tantum ut in pompæ regiæ parte numerarentur. Si quidem promiſcua nobilitas populari famæ credula, & in adulationem verſa, cum nemo alius emicaret competitor Frederico per provincias tranſeunti honorem & obſequium tanquam futuro principi detulerat. Electores vero earundem partium ſpe ſua dejecti fremebant ira & pudore, petebantque recipi intra mœnia ut ibi quoque publicaretur imperator quem ipſi dicerent. A civibus repulſi portas obſidione claudunt, tentantes fame deditionem

nem exprimere. Cæterum Moguntinus diſpoſitis præſidiis commeatum omnem juſſit intercipi qui Rheno flumine vehebatur ad exercitum. Hinc inopia primum obſidentes, deinde & fames invaſit. Iamque ad extremum neceſſitatis perventum erat, magna hominum jumentorumque ſtrage, nec potiundæ urbis ſpes offerebatur. Fremebant milites trahi ſe in perniciem, & modo ſuas modo ſociorum fortunas deflebant. Multi igitur miſſionem petebant, plures ſua ſponte dilabebantur. In tanta animorum conſternatione diffiſi proceres cæteros ægre contineri poſſe à fuga, dedecore tamen & pudore retinebantur. Interdum quoque reputabant an imperatorem rite publicarent in caſtris. Vicit tandem pudorem neceſſitas. Capto abeundi conſilio Fredericum Cæſarem renunciant: ac ne oppidani eruptione facta turbarent abeuntes, aut impedimenta interciperent, intempeſta nocte ſive claſſico civibuſque inſciis ſoluta obſidio eſt. Motis caſtris univerſæ copiæ ſparſim diffluunt; deſerto Frederico; qui triginta non amplius equitibus cinctus properabat cum Rudolpho Palatino, & Colonienſi Archiepiſcopo Aquiſgranum diſcedere, occupaturus ſolium Caroli Magni. In itinere certior factus teneri urbem inimicorum præſidiis. Bonnæ ſubſtitit, ibique à Colonienſi diademate cingitur. Satis conſtat potuiſſe obrui, ſi extitiſſet qui inſtaret perculſo. Sed fata Germaniæ tranquillitati necdum propitia, avertere Bavarum ab æmuli pernicie. Sive civili ſanguini parcebat, ſive infra curam habuit, contentus exarmaſſe hoſtem, fugienti ſpatium dedit quo Saletionem ſe reciperet, repararetque exercitum. Ipſe interim Aquiſgrani cum Beatrice conjuge à Trevirenſi Archiepiſcopo coronatus, imperialium urbium ſollicitabat obſequium, adhuc deliberantium utri parti præſtaret accedere.

Siquidem variis rumoribus differebantur comitia, ut nec ſatis conſtaret imperitis uter rite eſſet electus. Auſtriacorum clientes non ſine prudentium riſu omnia ex compoſito in contrarium fingebant. Fredericum à quatuor Electoribus in regnum adſcitum & à Colonienſi Archiepiſcopo coronatum numero præſtare & cauſa. Æquum eſſe tres Bavari Electores pluribus cedere. Neque referre ubi locorum electus eſſet: ſed referre à quam multis. Neque etiam per Electores ejus ſtetiſſe quo minus conſueto loco ſolemnia tranſigerentur, adverſariorum factione & pervicacia excluſos. At longe aliter Bavari differebant. Electionem nullibi niſi ubi aſſolet legitime fieri. Hoc à majoribus ſapienter inſtitutum, ſecutis etiam temporibus valuiſſe, ut diſcordiis & ſchiſmatibus occurreretur. Remiſſum aliquando ut alio loco comitia haberentur: quia expediret reipublicæ, temporibus ſic poſtulantibus,

quibus leges ſervire convenit. Nihil tamen accidiſſe cur Auſtriacarum partium Electores in palatium vocati, ab eo qui vocandi jus haberet, relicto ſuburbio Saxenhauſium ſecederent. Inter caſtra & milites Cæſarem tumultuoſe dicerent, religionem & auſpicia turbarent. Si alio loco ſingulis quam jubeantur, convenire liceat, ſecuturam confuſionem & perturbationem rerum omnium inter diſcordes, quot factiones tot collegia aſſerturos. Habuerit igitur Fredericus Electores aliquot in partibus, imaginem quandam conventus fecerint per ſeceſſionem divulſi; majorem tamen numerum cum Moguntino collegii capite ſtetiſſe in Regia. Atque ita fieri ut ibi collegium & comitia, illic factionem & conventiculum fuiſſe cenſendum ſit. Itaque vere æſtimantibus, Bavarum ſine vitio creatum jure ſe in regnum aſſerere: In quem plura denique conſenſiſſent ſuffragia. Nam ut maxime ex quinq; Electoribus quos à ſe numeraret duorum jus in controverſiam traheretur: admiſſos tamen eſſe in fiduciariam poſſeſſionem collegarum judicio, donec tranſactione aut ſententialis finiretur. Hoc jus in privatis negotiis frequentatum, potiori ratione ſervandum fuiſſe in comitiis, ne differretur electio prætextu litis, & ſine capite diutius fluctuaret reſpublica quatuordecim menſium interregnum paſſa. Si quis autem putaverit, nullam habendam rationem eorum qui de jure ſuo diſputarent: cogitare tamen debere, tres hinc indubitatos Electores, duos inde tantummodo ſtetiſſe. Parum intereſſe à quo diadema Bavarus acceperit. Peracta eo loco ſolemnia eſſe quem majorum mores poſtulant. Inaugurandi munus primo ad Moguntinum ſpectaſſe. Deinde Trevirenſi delatum. Poſtremo ſibi uſurpaſſe Colonienſem, quod in diœceſi ejus peragendum erat. Controverſiam hanc olim motam, nec adeo ſuppreſſam eſſe, ut non poſſit aliquando reſurgere.

Hæc & ejuſmodi in populum ſparſa, per convivia & circulos cœtuſque hominum pro cujuſque affectu extollebantur, deprimebanturve. Fuere denique qui jactarent, Waldemari Brandeburgici legatum pro Frederico ſuffragari juſſum, turpiſſima prævaricatione mandati ſui tabulis inſeruiſſe Ludovici nomen. Id apud gentes quæ ſub Auſtriacis agebant vulgo diſſipatum temere creditum: dein à Ioanne Pontifice Maximo in criminandi materiam arreptum, etiam poſteritate gliſcere cœpit; ſcriptorum incuria ejuſdem ætatis: qui quoquo modo audita, quamvis vana & falſa, non timuerunt pro compertis ad hiſtoriæ ſpecimen in annales transferre Sed ne longa refutatione mendacium indigeat publicarum tabularum fides liquido demonſtrat, Waldemarum in comitiis fuiſſe præſentem, & pro Bavaro ſuffragium tuliſſe. Moris erat ſin-

ſingulos eccleſiaſticos Electores tanquam archicancellarios territoriis diſtinctos, ſingula electionis diplomata conficere; offerenda Pontifici Maximo ab Electis, coronam imperii poſtulantibus. Tum quoque Bavarus acceperat ejuſmodi tabulas, à Moguntino & Trevirenſi; quas hoc loco, quamvis invenuſtas & incomptas, nihil mutatis verbis inſerere placuit; ut fidem noſtram non ſpernant, qui non erubuere etiam nuper tam vano mendacio illudere poſteritati, famamque Bavari proterva malignitate proſcriptam invidiæ exponere.

In nomine Domini Amen.

Sanctiſſimo in Chriſto patri, ac Domino ſuo, Domino Sacroſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici futuro, Petrus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, ſanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiſcopus, ſacri Romani Imperii per Germaniam Archicancellarius, Ioannes Dei gratia Bohæmiæ & Poloniæ rex, Waldemarus Marchio Brandeburgenſis, ac Ioannes Dux Saxoniæ ſenior, humiles & devoti cum omni reverentia devotiſſima pedum oſcula beatorum.

Vacante nuper per obitum felicis recordationis Sereniſſimi Domini Henrici, quondam Romanorum imperatoris, ipſo Romanorum regno, ſeu Romanorum imperio, & nobis una cum reverendo Domino Balduino Sacræ Trevirenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo; necnon reverendi Domini Henrici Archiepiſcopi Colonienſis; & illuſtrium Ioannis Bohęmiæ, & Poloniæ regis; Rudolphi comitis Palatini Rheni ducis Bavariæ; Waldemari Marchionis Brandeburgenſis; ac Ducis Saxoniæ honorabilibus procuratoribus, ad quos tam de jure, quam conſuetudine antiqua & approbata, jus eligendi Romanorum regem in Imperatorem, poſtea promovendum noſcitur pertinere, ſolemniter concordantibus in diem electionis hujuſmodi, videlicet craſtinum Beati Lucæ Euangeliſtæ, qui eſt decima nona menſis Octobris: & ego Petrus Archiepiſcopus Moguntinus prædictus, ex officii mei debito, ipſam diem ad electionem hujuſmodi celebrandam præfixi, litteris meis vocationis ipſis conprincipibus & coëlectoribus meis deſtinando. Quo die veniente, ſuburbio oppidi regalis Frankenvordenſium, loco ſcilicet ad hoc ſolito & conſueto, nobis Petro Moguntinenſi, Balduino Trevirenſi Archiepiſcopis, Ioanne Bohæmiæ & Poloniæ rege, Waldemaro Marchione Brandeburgenſi, ac Ioanne Duce Saxoniæ ſupradictis, ibidem convenientibus, celebrata miſſa S. Spiritus, deliberatione provida præhabita, ad procedendum in electionis negotio prælibato, & in quantum debuimus exſpectantibus, quod Reverendus Dominus Henricus Archiepiſcopus Colonienſis, & Rudolphus comes Palatinus Dux

Bava-

Bavariæ nondum venerant; nec per ſe, nec per ſuos procuratores in dicto loco convenerant. Nos pro bono pacis volentes in hoc eis deferre, ac facere gratiam ſpecialem terminum prædictum, videlicet craſtinum B. Lucæ Euangeliſtæ unanimi conſenſu, cum Reverendo Domino Balduino Trevirenſi Archiepiſcopo, uſque in diem ſequentem duximus continuandum: quam continuationem dictis Archiepiſcopo Colonienſi & Rudolpho Comiti Palatino, ac aliis quorum intereſſe poterat, nos Archiepiſcopus Moguntinenſis antedictus per noſtros nuncios ſpeciales ad id deputatos inſinuavimus, notificavimus, & ad eorum notitiam deduximus, ipſos citando vice & nomine omnium noſtrorum præſentium, ut pręfata die continuata in dicto loco convenirent. Qua die continuata ipſis Archiepiſcopo Colonienſi, & Comite Palatino, & aliis quorum intereſſe poterat, ſic vocatis & ſufficienter exſpectatis, quod non venerunt, nec pro ſe miſerunt, nec vires ſuas alicui, ſeu aliquibus commiſerunt, in electionis negotio memorato audita miſſa ſancti Spiritus, nos Archiepiſcopus Moguntinenſis antedictus ipſa die continuationis, quæ fuit vigeſima menſis prædicti, hora debita & conſueta procedere cupientes, in ſcriptis monitionem legimus, & proteſtationem quandam vice noſtra ac omnium ibidem præſentium, jus in ipſa electione regis Romanorum habentium, illa vice monendo omnes infames, excommunicatos, ſuſpenſos, ac etiam interdictos, necnon quoſcumque alios, ſi qui forent forſitan inter eos, qui de jure vel conſuetudine intereſſe in ipſius negotio electionis non deberent, quod à tractatibus electionis celebrandæ futuræ regis Romanorum & ab eadem electione recederent, ipſos Coëlectores noſtros, nos & alios quorum intereſſet eligere permittentes proteſtando, quod non eſſet noſtra vel Coëlectorum noſtrorum intentio tales admittere tanquam jus in illa electione habentes, ac procedere vel eligere cum eiſdem. Imo voluimus ac intentio noſtra fuit, quod voces talium, ſi qui reperirentur poſtmodum interfuiſſe, nulli præſtarent ſuffragium, nec adferrent alicui nocumentum, & prorſus pro non receptis, ſive pro non habitis haberentur. Quam proteſtationem nos omnes ſupradicti, una cum reverendo patre Balduino Archiepiſcopo Trevirenſi, Coëlectores tunc pręſentes ratam & gratam habentes, conſenſimus in eandem, & demum poſt tractatus præhabitos, conſideratis ſollicite circumſtantiis pluribus, & ſtatu perſonarum diverſarum, per quas, ſeu per quam regno vacanti & imperio poſſet utilius provideri, in illuſtrem virum Ludovicum Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bavariæ, virum utique Catholicum, Orthodoxæ fidei fervidum zelatorem, Eccleſiæ ſanctæ Dei & miniſtrorum ejuſdem ac

pacis

pacis ſanctæ ab ineunte ætate ſua, experientia, quæ eſt rerum magiſtra efficax, atteſtante, devotum, & humilem amatorem, ſtrenuum in armis, in judicio juſtum, in conſiliis providum, in univerſa morum honeſtate præclarum, benignum, affabilem, & manſuetum, de alto & generoſo ſanguine Divorum regum & principum procreatum, ac in cunctis agibilibus pro regimine reipublicæ quam plurimum circumſpectum, noſtrum intuitum divina diſponente clementia convertentes, nos Petrus Moguntinenſis Archiepiſcopus, pro nobis & nomine noſtro, præfatus vero Dominus Balduinus Trevirenſis Archiepiſcopus pro ſe & nomine ſuo; nos vero Ioannes Bohæmiæ & Poloniæ rex; Waldemarus Marchio Brandeburgenſis; & Ioannes Dux Saxoniæ prædicti, quilibet noſtrum pro ſe & nomine ſuo, votis noſtris per Dominum Moguntinum Archiepiſcopum antedictum vice ſua & noſtra, & ex ſpeciali mandato ſuo & noſtro diligenter inquiſitis, nos electores prædicti in loco prædicto præſentes, jus totale ea vice in electione dicti regis habentes, conſenſimus concorditer in eundem Ludovicum, & ipſum nominavimus, quilibet noſtrum pro ſe nullo penitus diſcrepante in Romanorum regem eligendum, in imperatorem poſtea promovendum, & in advocatione Sacroſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ, viduarumque ac orphanorum defenſorem. Quibus ſic peractis, ego Petrus Moguntinenſis Archiepiſcopus de mandato ſpeciali, & voluntate mea, & meorum electorum prædictorum eundem Ludovicum comitem Palatinum Rheni ducem Bavariæ elegi ſolemniter in hunc modum.

In nomine Domini Amen.

Cum vacante Romano regno, ſeu Romano Imperio per mortem fœlicis recordationis, Sereniſſimi Domini Henrici quondam Romanorum imperatoris, vocatis qui fuerunt evocandi, & qui in electione regis Romanorum jus habere dinoſcuntur, ac præſentibus dicta die continuata ad eligendum, omnibus qui voluerunt, potuerunt, ac debuerunt commode intereſſe, placuerat omnibus ac ſingulis præſentibus ad electionem procedere futuri regis, inquiſitis votis omnium ac ſingulorum jus in electione ipſius regis habentium & præſentium, omnes & ſingulos electores prædictos appareat ex præmiſſis direxiſſe concorditer vota ſua in illuſtrem Ludovicum Comitem Palatinum Rheni ducem Bavariæ, in eum conſentiendo & ipſum nominando in Romanorum regem eligendum, per cujus quidem Ludovici prædicti expertæ ſtrenuitatis merita, fidei puritatem & conſtantiam ſperatur Sacroſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ potenter & utiliter defenſari in ſpiritualibus & temporalibus votiva ſuſcipere incrementa, & etiam reſpu-

blica proinde dirigi, & pariter ſuperno ſuffragante auxilio gubernari; Ego Petrus Archiepiſcopus Moguntinenſis antedictus, vice mea ac Coëlectorum meorum prædictorum, jus in ipſa electione habentium, ex poteſtate mihi ab eis tradita ſpecialiter, & conceſſa, eundem Ludovicum, invocata ſancti Spiritus gratia, in Romanorum regem eligo, in imperatorem futurum promovendum.

Electione autem hujuſmodi peracta, eam omnes & ſinguli Electores prædicti præſentes approbavimus, & TE DEVM LAVDAMVS alta voce fecimus decantari, & dictum noſtrum electum qui præſens extitit, & electioni de ſe factæ nolens reſiſtere divinæ voluntati, interpellatus cum inſtantia à nobis reverenter conſenſit. Et deinde electionem ipſam clero & populo ſolemniter fecimus publicari. Poſtmodum vero ipſum electum in civitate Frankenfordenſium introducentes in Eccleſiam S. Bartholomæi deduximus, & ipſum ſuper altare majus prout moris & conſuetudinis eſt, adhibitis ſolemnitatibus in talibus debitis, & conſuetos poſuimus, TE DEVM LAVDAMVS denuo decantantes, deinde in cæmiterio Eccleſiæ antedictæ, clero & populo ipſum electum præſentavimus, & ejus electionem fecimus ſolemniter publicari. Ea propter Sanctitati Veſtræ tam humiliter, quam devote, voto unanimi ſupplicamus, ut ipſum Electum noſtrum in regem Romanorum paternis ulnis amplectentes, munus unctionis & conſecrationis eidem conferendo, de ſacroſanctis manibus veſtris ſacri imperii diadema dignemini loco & tempore favorabiliter impertiri, ut ſciant & intelligant univerſi, quod poſuerit in lucem gentium Vos dominus, & per Sanctitatis Veſtræ arbitrium orbi terræ poſt nubilum exoptata ſerenitas eluceſcat.

Cæterum ut Beatitudo Veſtra cognoſcat evidentius, vota noſtra omnium præſentium in prædictis omnibus & ſingulis concordaſſe, ac in petitione ejuſmodi exiſtere unanimes, & concordes, præſens electionis noſtræ decretum Sanctitati Veſtræ tranſmittimus, ſigillorum noſtrorum appenſione ex certa noſtra ſcientia corroboratum. Datum apud Frankenfort x. Kal. Novemb. Anno Domini MCCCXIV.

Trevirenſis diploma iiſdem fere verbis conceptum eſt. Redeamus igitur ad hiſtoriam.

Interea populus ſtudia ſua ſpe aut metu, amore vel odio in has aut illas partes diſtribuebat. Proxima Alpium armata erant pro Auſtriacis. Colonia Agrippina & quæ cæteræ urbes ad occidentem vergunt Bavari ſacramentum acceperant. Palatinatus Rheni communis erat illi cum Rudolpho fratre uti diximus. Atque ibi cum Moguntino frequens,

tunc

tunc forte Oppenhemii diverſabatur ſollicitandis Spirenſium animis intentus; cum ingens vitæ periculum adiit. Quippe Truckſeſſius Alzienſis Frederici cliens vitam ejus nefandis inſidiis petere conſtituit. Inſolens erat facinus nec fortaſſe minus operoſum, Imperatorem inter tot fidiſſimos purpuratos, civeſque & milites propalam conficere: ſed parricidæ perire certo, vitæque prodigo, ſpem & fiduciam fecerat, pronus ad Ludovicum aditus, contempto armatorum præſidio ad ejuſmodi pericula incautum. Iamque prorepſerat in Regiam inſerens ſe familiarium turbæ, tanquam pridem Aulæ adſcriptus, arcum circumferebat ſub chlamyde ſolertiſſime abſconditum, tela veneno illita erant, ut vel leviſſimum vulnus inſanabile redderetur. Cæterum Heidelbergæ fama ſceleris in tempore erupit, & poſtridie præſto fuere qui indicium ad Cæſarem deferrent. Ille mox Truckſeſſium excuti juſſit comprehenſum à ſatellitibus, protractiſque è pallio telis in carcerem rapi. Quæſtio deinde habita eſt. Crimen reus inficiari non poterat in ipſo propemodum ſcelere deprehenſus. Itaque perduellionis damnatus, carnificibus ad ſupplicium traditur: qui religatum ad caudam jumenti, & in locum patibuli fœdiſſime protractum, mutilatis membris ſuſtulere in rotam, deterriturum cæteros magnitudine exempli ne ejuſmodi cogitationes in animum dimitterent. Vtrum inſita animi vecordia facinus aggreſſus ſit, an machinator doli Rudolphus Palatinus impulerit promptum ad ejuſmodi flagitia, nihil certo affirmare poſſum. Rudolphus tamen ſuſpicionibus aſperſus eſt; qui implacabili in fratrem odio, in eo totus erat, ut Auguſtanorum & Bavarorum animos ad Fredericum perliceret.

Iam vero & Spirenſes extracto in multos dies conſilio ad Ludovicum inclinare cœperant. Lex fœderi dicta eſt, ne cives arma ferre extra pomœria: ne publice aut privatim ad annonam cogerentur: præſto eſſet periclitantibus auxilium. Paucos adhuc milites effecerat Bavarus, turmis ſuccinctus, quas ſuarum partium Archiepiſcopi ad comitia deduxerant. His copiis Spiram conceſſit. Si quidem exploratores retulerant Fredericum eſſe in procinctu. Vt autem oppidanorum benevolentiam arctiori ſibi nexu aſtringeret, priſtina civitatis privilegia confirmavit. quædam præterea petentibus adjecit: magno quidem principatus incommodo; cujus obſequium licentior populus quandoque excuteret ſub umbra libertatis. Sed omnia experiri cogebat neceſſitas. Sceptrorumque licentiam aſtringere malebat, quam retinere vim majeſtatis cuicumque alteri profuturam. Et ſi verum volumus ſuprema dignitas inter continuas diſcordias injuriis aperta, dum pro ſe

quiſque publico detrimento nititur, precarium tandem in cives reliquit imperium: nemine adhuc ſatis ſentiente tantum de faſtigio detrahi, quantum populari libertati accederet.

Simul vero Auſtriaci propius Spiram admoverant exercitum, Bavarus pariter copias eduxit, & in cœmiterio judæorum locavit caſtra, ut ab oppugnatione urbis hoſtem excluderet in ſe converſum. In hac ſtatione quietum Fredericus continenter laceſſebat, optans experiri prælio, ne ſuorum impetus mora aut tædio frangeretur. Inſtabat ergo ferox pugnamque petebat, per Ludovicum ſtare inſimulans, quo minus commiſſæ acies de ſceptro decernerent. Sed nec Bavarus facile munimentis exturbari poterat muro clauſis, nec in campum elici. Poſtremo ſpecie ampliandi exercitum, clam ſe in Bavariam recepit: re vera ut furori hoſtium ſe ſubduceret, cunctator ingenio, & viribus impar. Forte etiam timuit, ne multitudini deficerent alimenta, vel Bavarorum animos Rudolphus frater ab ipſo averteret.

Cumque Auguſtam Vindelicorum perventum eſſet, nemine adverſante in urbem recipitur. Percuſſo in quadriennium fœdere, ea quæ turbata erant facile compoſuit reverentia majeſtatis. Cives denique ſuos fecit privilegio excultos, ne extra pomœria civitatis in jus traherentur, ſuis duntaxat magiſtratibus obnoxii. Inde vero armata manu Bavariam intrat. Ea regio., ſicuti dictum eſt, communi fratrum tenebatur Sacramento. Promiſcua nobilitas inter diſcordantes alterutrum offendere verita, quamvis in Ludovicum pronior, fidem tamen ex æquo colebat. Ergo ad Rudolphum defecerant pauci; qui fraterno adventu anxius, ut rebus interim ſuis conſuleret ad ſimulationem ſe cogebat. Monachium intraturo obviam progreditur ſolemnis officii titulum odio prætexens. Nobilitas ſponte, aut convenire juſſa aderat frequens in equis & cultu militari, per turmas diſpoſita; quas antecedebant præfecti, agmina ipſa ſinuoſis circumagentes voluminibus per campum donec viſo procul Cæſare juberentur ſubſiſtere. Rudolphus cum optimatum præcipuis prope ſibi admotum conſpicatus & ex equo deſcendens, frigidius præter exſpectationem excipitur. Satis enim conſtabat vultum diſſentire ab animo ad fictam benevolentiam compulſo. Rixæ tamen in occaſionem dilatæ ſunt: forte ne intempeſtivis jurgiis turbaretur optimatum hilaritas; qui ſe multi ſinceris affectibus ſimul in gratulationem effuderant. Hos Ludovicus benignius intuens, vultum brevi à fratre avertit. Sed ut pervicaciſſima ſunt odia, quæ ſanguine proximos exercent, eo Monachii. infeſtius erumpere, quo diutius mutua diſſimulatione vires collegerant. Ergo tantum non animis, ſed & verbis

atro-

atrociſſime diſſidebant, Ludovico potiſſimum inſimulante infeſtum fratris animum, nulla rixa à ſe laceſſitum, contracta cum Auſtriacis fœdera, ſollicitatos ad defectionem Auguſtanos & Bavaros, inſidiarum ſuſpiciones, & quidquid præterea dolor, indignatio, ira ſuggeſſerat. Rudolphus animo æger, cum uxore ſe turbate proripuit in Wolfarthuſianam arcem, quæ erat in poteſtate illius. Quippe conſcientiæ ſtimulis pulſatus parum ſe tutum Monachii credebat, civium ſtudiis in fratrem propenſis. Adhuc jurgandi materiam prudenti abſentia quærebat effugere mutuo conſpectu acrius accenſam; ne quid Cæſar atrocius moliretur, cujus iram ſuſpectare cœperat. Facile inde poterat excuti; ſed non ſuſtinuit Ludovicus violare quieſcentem. Deterrebat eum bonitas animi, ne in cæteros manſuetiſſimus pietatem læderet, ſinceram pœnitentiam ab infeſto exſpectans. Et mox Conrardus Friſingenſis Epiſcopus Rudolpho ſtudens mentionem fœderis injicere cœpit, multorum Optimatum induſtria adjutus. Qui nunc huc, nunc illuc delati pacem tandem his legibus fecere: ut arma ſociarent in Auſtriacos: eoſdem amicos inimicoſque haberent; in proſperis in adverſis conſilia jungerent. Hæc in tabulas relata utrimque ſacramento ſancita ſunt.

Ludovico hac parte curarum ut rebatur liberato, pleriſque gravis & amarus in pace videbatur exercitus. Nec deerant qui ſuaderent dimittendum eſſe. alienari civium mentes ajebant, queri omnes de onere, armatos & externos ægris oculis domi aſpicere. Nobilium denique odia contrahi, quod ſuam patriæque ſalutem peregrinis crederet, damnata aut ſuſpecta popularium fide, manus & arma offerentium. Quid eum tantopere urgeret, ut tanto populi incommodo retineretur miles ſub ſignis? An Fredericum extimeſceret procul furentem? Neque illum habere alas, neque inde moveri poſſe ut fama bellum non præveniat. Spatiumque interim fore quo ſe provinciales ad ſigna reciperent, qui nihil virtute nihil alacritate concederent peregrinis, diſciplina certe & modeſtia præſtarent, & quod præcipuum eſt amore in principem. Alii vero è contra contendebant, retinendas eſſe copias ad omnem tempeſtatem, ut in parato ſit quod irruentibus confeſtim objiciant. Hoſtem haut adeo procul ſubmotum, ut de repente non poſſit torpentes obruere. Serum provincialium auxilium & incertum. Neminem ſæpius quam promiſſis decipi. Quantulum illud eſſet quod cives quererentur? hoſpitia videlicet & pauca neceſſaria, ac pro levibus habenda ſi conferantur cum detrimento quod ſuperveniens furor hoſtilis daturus eſt. Repeteret memoria præteritas calamitates quibus haut adeo nuper Auſtriaci ſævierint. Captivitates urbium, depopulationes

 nes

nes & incendia agrorum modica jactura bene redimi. In hoc diſſidentium certamine Ludovicus ſententiæ eorum acceſſit, qui poſtulabant miſſionem, utique poſtquam nobilium ſtirpes, non jam viritim ſed conſenſu, ad omne ſe obſequium obſtringerent; renovato in Auſtriacos odio, à quibus Rudolphum credebant averſum. Sed ſtolidum fuiſſe conſilium eventus docuit.

Quippe Fredericus ad Spirenſis oppidi mœnia jacens exuſtiſque ſuburbiis inſociabilis civibus, ea quæ in Bavaria geſta erant confeſtim accepit. Ratuſque advenilſe tempus quo imparatum æmulum poſſet opprimere, Leopoldum fratrem proficiſci jubet cum equitatu. Certus enim erat Rudolphum Palatinum neceſſitatis ingenio ad fœdera compulſum ſub diſſimulato odio hoſtilem animum ad ultionem ſervare. Eoque ad ſe deficiente ſperabat Bavaros ægre ad officium coituros. At Leopoldus, quo improviſus gravior accederet, retro in Alſatiam abire ſimulat. Flexo deinde itinere quanto maxima poteſt celeritate in Bavariam feſtinat. Iamque haut procul aberat Lyco amne; cum trepidi undique nuncii adventum hoſtium in aulam deferunt. Vix fides habebatur graves armis tantum potuiſſe metiri ſpatium, ut nemo eorum qui ad obſervanda Frederici conſilia in Palatinatu ſubſtiterant, progrediens agmen celeritate præverteret. At ſive illi negligenter ceſſaverint, ſive hoſtium artibus eluſi; jam fœdari viros cædibus, fumare tecta, & certiora omnia aliunde referebantur. Ergo non mediocris timor animos inceſſerat. Ludovicus conſilii inops & eximie pavidus damnabat ſero ſtultitiam ſuam, quod in medio belli ardore ac ſtrepitu, cum hoſtis ſtaret pro foribus, tantam permiſiſſet provocatæ fortunæ in caput ſuum licentiam. Dimiſit tamen protenus qui Rudolphum fratrem admonerent fœderis, provincialeſque citarent ad vexilla. Poſt hæc Friburgum proceſſit, quo populares turmas convenire juſſerat obviam iturus hoſti, quem Lycum flumen tranſiſſe acceperat. Cæterum Auguſtani de ſalute Cæſaris ſolliciti, confeſtim illuc dirigunt ſuorum præcipuos, hortaturos eum, ne tam vilis urbis mœnibus majeſtatem concrederet. Patere in proximo Auguſtam, ubi non modo tutus opperiretur exercitum, ſed etiam propius hoſtem proſpicere poſſet, quod potiſſimum res exigerent. Collaudata civium benevolentia protenus Auguſtam pergit, imagine periculi præcipitante conſilium. Intempeſta nox erat, cælique obſcuritas horrenda caligine terras condiderat. At collucentes faces de induſtria ex urbe allatas præferebant ſelecti ex populo. Magiſtratus ante portas manebant venientem, verbiſque convenientibus exceptum ad præparatum deducebant hoſpitium.

tium. Multitudo vix à lictoribus arceri poterat, pronis in eum animis, paratiſque omnia pro fide experiri.

Ex alia parte Bavari correptis armis alacriter ad ſigna confluebant. Optimos quoſque excitabat pudor, ne fidem datam violaſſe flagitio ac perniciem Principi quæſiſſe crederentur. Cæteris ſtimulos timor addebat. Quippe igne ferroque vaſtari cuncta, Lantspergam denique vi captam ſubſediſſe in cineres celerrima fama per provinciam diffuderat. Itaque ſi perfidia aut ignavia ceſſarent, fortunarum ſummæ metuebant in agris vicíſque expoſitæ ad prædam. Rudolphus Palatinus neque poterat impedire ruentes, neque palam audebat intercedere, in tanto omnium conſenſu invidiam veritus. Sed inter clandeſtina perfidiæ conſilia, animo ad Auſtriacos deficiens, Vogburgi exſpectabat fortunam, apertiſſimus fratri hoſtis ſi quid illi adverſi accideret.

Cæterum Auſtriaci Bavarorum apparatu exterriti retrocedebant in Sueviam, jam fugere contenti, qui totam Bavariam populaturi, nihil præter ſpolia & rapinas avara cogitatione præſumpſerant. At vero Ludovicus perductis ad ſe provincialium copiis Leopoldum occupare feſtinat viribus inſtructior paratuſque decernere. Haut procul Puchlavia fugientem aſſequitur, inter Lyci Vindoniſque confluvium. Iter qua hoſtes ferebantur prope invium erat. Nam quoties omnes violentius exæſtuant circumjectos tegunt campos paludibus ſimiles, atque omnia viarum confundunt veſtigia. Et tunc forte tumentia flumina extra ripas ſe altius extulerant. Errabant igitur ignoti tranſitum quærentes qua eniterentur. Iamque equos alvo tenus aqua ſuppreſſerat, cum juberentur ſubſiſtere. Nam nec progredi audebant ne occulta voragine abſorberentur, nec etiam regredi Bavarorum metu à tergo obſtantium. Haut dubie compelli poterant ad deditionem. Sed Bavaris promiſcue conſtantia pleriſque denique fides deerat. Itaque ex omni parte oriebatur murmurantium fremitus, quod in hiſce anguſtiis retinerentur. Hoſtes finibus pulſos domum concedere. Exitum illis abrumpi non poſſe, niſi ut in iiſdem paludibus tota ſibi nocte perſtandum ſit. Id vero quantopere expediret, equos quiſque ſuos conſuleret, tot dierum laſſitudine confectos. Aperirent viam fugientibus ne ex neceſſitate facerent virtutem deſperatione incenſi. Satis enim pœnarum dediſſe ſucceſſu expertos quam non inulte Bavari contemnerentur. Iamque & proceres apud Ludovicum inſtabant ut in clementiora ſe reciperet. Qui conſenſu ſuorum victus, verſis ſignis Schillingsfurtum adoritur. Arcx erat in edito monte natura loci operibuſque munitiſſima. Ante eum diem habebatur inexpugnabilis. Sed ad tolerandas obſidionis

moras

moras omnia intus improviſa erant. Arcis Dominus Kraffto Hohenloius ſequebatur Auſtriacos: quorum gratiam memorabili olim flagitio emerat. Intempeſta enim nocte faces ſubjecerat Ludovici hoſpitio, in ſpem adductus dormientem flammis confici poſſe. Sed intra periculum metumque facinus ſtetit. Nihilominus tamen Bavarus ulciſci conſtituit. Deditam enim arcem cum ſubjecto oppido juſſit incendi. Deinde cum abeſſe procul Leopoldum referretur iter in Bavariam habuit, pervicacioris in fratrem iræ, cujus explendæ occaſio evenerat.

Advocato enim conſilio quærebat quid de illo faciendum eſſet, qui tam proterve fœderibus illuderet. Ex quibus primus ſententiam rogatus in hunc fere modum diſſeruit. Niſi bonitatem tuam timuiſſem offendere, jamdiu privatim ſuaſiſſem, quod ipſe apud te conſtituere debueras. Quid enim dubitas ferrum exerere? An necdum credis hoſtem eſſe tot ſceleſti animi indiciis obrutum? An vero exſpectas donec ille te jubeat mucronem educere, vel per inſidias captum, gladio aut carcere conficiat? Vtcumque ſane priorem amentiam excuſare poſſit, & proterviæ ſuæ obtendere ſtudium partium ex comitiorum æſtu collectum: purgare tamen non poteſt, quod poſt reconciliationis gratiam, rupta fide, calcato ſacramento nec tua, nec patriæ ſalute motus, ex legibus fœderis adeſſe contempſerit. Hæc manifeſta ſunt proditionis argumenta, quæ vel tacentem arguunt, Auſtriacorum moliminum auctorem aut participem, at certe fuiſſe conſcium. Nam ſi depoſito Frederici ſtudio bona fide pacem coleret, nonne bacchantibus hoſtibus in provincia protenus accurſurus fuerat ad reſtinguendum commune incendium? Quid eum domi tantopere continuit? Quid in omnium trepidatione uſque adeo ſecurum fecit? Solus ille non extimuit impendentem procellam quaſi ad ſe nihil pertinentem, cui tamen ex legibus fœderis obviare debuerat? Subeſt nimirum tantæ ſecuritati conſcientia ſceleris, qua ſollicitavit Auſtriacos in Bavariam odio tui. Si dignitatem tuam adverſa fortuna expoſuiſſet injuriis, vidiſſemus illum palam ad hoſtem deficere, ſollicitare in te provincialium fidem, ducem ſe præbere inimicorum cauſæ. Fortuna tua non eſt in tuto, quamdiu viſceribus provinciæ ſecurus incubat. Quid autem illi cum Bavaria? cur ibi moras trahit ac domicilium? Sint reditus utrique communes, ſint indiviſa dominia, ad te ſolum tamen adminiſtratio pertinet. Vt iterum quærere libeat quid agat in Bavaria? niſi ut propius exploret conſilia tua delaturus ad hoſtes, vel ſane occaſionem exſpectet, qua ſuos ulciſcatur dolores, & quidquid irarum in caput tuum concepit, ſub umbra concordiæ ocioſus exerceat. Præoccupa igitur conſilia quibus in

jugu-

jugulum tuum intentus vigilat. Oppidis &.arcibus excute. Tempus eſt, feſtinandum eſt, dum prædam habemus in manibus. Ille tibi ſemper inſidiari poterit, tu illum ſemper non poteris opprimere. Exercitum habes quocumque duxeris paratum ſequi. Quid ergo ceſſas? An times Superos offendere flagitio? an violare jus ſanguinis? an famæ innocentiam lædere? Prior ille peccavit in fœdera, hoſtilem animum prior induit, patientiam tuam in iram concitavit. Ne puta te fratrem perſequi, ſed juſtum hoſtem. Profectò ſi tam facilem inveniſſet populum, quam ipſe pronus ad perfidiam fuerat, jamdiu te cæſo vel pulſo Bavariæ incumberet. Iure illi facies, quod ipſe tibi facturus fuerat: immo quod adhuc facturus eſt quamprimum redierit rebellandi ſecuritas. Intelligat tandem fraternam concordiam, non ſatis proſpere nuper laceſſitam, nunc in ſuum quoque abrupiſſe exitium. Non te ad crudelitatem inſtigo, non ad tyrannidem inſtruo. Clementiam in cæteros exerce qui venia mutari poſſunt. At ille omnem miſericordiam conſumpſit toties rebellis ac pervicax. Fruſtra ab eo fidem exſpectes qui Numina ſuſtinuit violare perjurio. His dictis certatim omnes ut in hoſtem decernunt. Nec deerant militum animi, pariter in ſuſpicionem lapſi, illius conſilio & proditione accitos in Bavariam Auſtriacos, Landspergam captam atque incenſam. In ſumma quidquid detrimenti hoſtis intulerat, omnis culpa in illum congerebatur, unaque vox erat, tollendum è medio publicum hoſtem.

Rudolphus interim Voghburgi anxius & ad omnes rumores pavens, cum ſuis potiſſimum agitabat, utrum manere præſtaret an fugere. Erant qui ſimulandam eſſe ſecuritatem ajebant, ſemel experto quam fraus illa feliciter ceſſiſſet. Nullius adhuc criminis quam contumaciæ ſuſpectum eſſe. Nec illud tantum delictum, ut apud clementes aures non poſſit deprecari per legatos, quos in ſpeciem mitterent gratulaturos illi de victoria. Et ſi quid Ludovicus ſtatuiſſet atrocius, milites tamen non permiſſuros utriuſque Sacramento pariter obſtrictos. Sed quo potiſſimum ſe proriperet? Nil in provincia ſatis proviſum, nihil tutum adverſus victorem, à tergo ſecuturum, quocumque ipſe poſſet fugere. Exeundum eſſe in exilium, donec benignior fortuna Auſtriacos reſpiceret. Incertum quidem eſſe quid de fortuna partium fata ſtatuerint: certum tamen eſſe medio tempore bonis exutum, & alieno ærario gravem nihil præter contemptum & faſtidium relaturum. Aliis vero feſtinandum videbatur. Stultiſſimos eſſe principes, qui caput ſuum inimicis crederent. De Ludovici ira ne dubitaret, quem toties læſerit. Neque illum adeo ſtolidum ut non intelligat, quid contumaci

tua abſentia volueris, neque ita ad clementiam pronum ut ſecuritatem ſuam non præferat. Atque ut ipſe maxime flecti poſſit non defuturos tamen qui mitem animum ad vindictam exſtimulent. Videret ergo ne præter ſpem captivitate aut exitu lueret amentiam ſuam. Compoſitis in Suevia rebus ad futuros armatos, qui fractis vel apertis portis captivos conjicient in cuſtodiam. Militum fidem mobilem eſſe. Animum cum principe mutare, eoque deficere quo victoria inclinat. Neminem recuſaturum ſequi quo imperatorem ire viderit. Multa fugienti patere exilia. Ferret aliquantiſper fortunæ injuriam, ſervaretque ſe mitioribus fatis. Nam ut maxime incertum eſſet, quem rerum exitum fortuna datura ſit: laſſos tamen principes plerumque jurgia fœderibus componere. Rerum vices inconſtantes eſſe. Eundem vultum fortunam non ſervare. Sæpe accidere quod minime ſperaveris. Quid ſi corpus periculis offerens cædatur in acie, aut quieſcentem domi fata occupaverint? Quid ſi tempore mitigetur, quem recens dolor aut ſceptri cupiditas nunc acrius exaſperat? Ad ultimum quidvis potius tolerandum quam ſua perire ſtultitia. Non diſplicere tamen mitti legatos qui gratulationis prætextu, in fraterna ſe conſilia inſinuent. Hæc quidem ita differebantur, quaſi omnia adhuc eſſent in integro. Sed mox turbavit eos nunciata præter ſpem Schillingfurti deditio. Comperto igitur Ludovici adventu, omnes in fugam deſinebant. Palatinus ſe Wolfartshuſium recepit. Familiares quibus ſe corrumpendum dederat, & ipſi perculſi in ſuas arces dilabebantur, quaſi pœnitentia ducti, cauſam ſuam à conclamato disjungerent. At vero Ludovicus Vogdburgo in poteſtatem redacto, non modo arces eorum incendi juſſit, ſed & ipſos in vincula conjici, ſervandos ad ſupplicium aut veniam, prout res & tempus ac cujuſque merita exigerent. Palatinus Wolfratshuſii obſidionem tolerare decreverat, Auſtriacorum aut inferioris Bavariæ principum miſericordiam & ſubſidium exſpectans. Sed cum nihil inde ſpei mitteretur, Ludovico imminente capeſcit fugam. Anglia an Auſtria exulem receperit inter diſſentientes anceps conjectura eſt. Sagaciores tamen in Auſtriam projiciunt, quo uxorem liberoſque fuga detulerat. Sed parum refert quo devenerit: haut multo poſt contabuiſſe conſtat præſentis fortunæ ægritudine confectum. Hanc profecto tempeſtatem in caput ipſe ſuum exciverat proterva invidia fraternæ felicitatis. Pudebat enim genu ponere, & in edito ſtantem ſuſpicere modeſtius, quem prærogativa ætatis antecedere debuerat. Et hinc quamdiu vixit fratri diſcors poſt fortunam ejus inexpiabile odium mente conceperat, certus ſe vel illum perdere.

At

At vero Ludovicus Wolfratſhuſio per deditionem recepto, cum nihil amplius hoſtile aut ſuſpectum occurreret, dimiſſo exercitu Monachium profectus ingenti civium plauſu excipitur. Tantæ benevolentiæ gratiam relaturus, ſimul ut honeſto aliquo beneficio ſtudia populi in ſe intenderet, ſalutaribus legibus urbem inſtruxit, tributa & vectigalia imminuit. Petentibus incolis fidem dedit ſe non coiturum cum fratre in fœdera, niſi ut iiſdem ipſi legibus adſcriberentur. Prætores vero edicto admonuit, ut æquato inter potentes humilioreſque jure, & abſque litium ſufflamine rixantium controverſias dirimerent. Iudæos denique magiſtratibus ſubeſſe juſſos in leges compegit. Quippe ea tempeſtate teterrima gens & ad exugendum Chriſtianorum ſanguinem nata, enormi licentia graſſabatur in populum, ſub umbra libertatis, quam à prioribus Cæſaribus nimiam emerat. Sed ad ornatum civitatis non pauca inſtituit. Fori potiſſimum anguſtias, ſubmotis publicis ædificiis elegantiſſime laxavit. Quaſi videlicet ex tunc præſagiret animo, futuram aliquando hanc ſedem in qua poſteri Regiam figerent loci pulchritudine capti. His atque ejuſmodi curis virtutis ſuæ famam proferebat, & ad futurarum tempeſtatum atrocitatem, obſtinatum populi favorem in ſui reverentiam aſtrinxerat: cum interea Auſtriaci graviori motu in Helvetia implicarentur, cujus originem cauſaſque breviter expediam. An. M CCC XV.

Helvetii fere imperio ſubditi ea tempeſtate, ac cætera liberi à vicariis regebantur, quos Cæſar juriſdicendi cauſa præponere conſueverat. Obſcurum & agreſte hominum genus ac maxime ſordidum ſeveram illam & antiqui moris retinebat Germaniam. Ingenia inter ſteriles Alpes ſcopuloſque abſtruſa cum aſperitate loci conſenſerant; ne tamen in ferociam creſcerent aut Magiſtratibus ſuis intractabilia redderentur, prætorum ſolertia & ſupercilium infra libertatem depreſſerat. Hinc ruſtica humiliſque indoles, & ſi modeſtius haberetur nihil auſura, ad omne ſe dimittebat obſequium. Cæterum vicarii cum reliqua nobilitate Auſtriacis annexi, ultro bonorum patientiam ſæviebant. Inter omnes tamen eminebat Landebergii furor Subſilvanis præpoſiti, qui raptis alienis bobus, deflenti coram agricolæ contumelioſe reſpondit, ſi non haberet quo deinceps terram ſubigere poſſet cervices ipſe ſuas aratro ſubjiceret. Laceſſitus tum ſævo & inhumano dicto miſer populus adhuc quidem tenuit iram, donec honeſtæ matronæ ſtuprum Landebergius inferret. tunc vero tot importunitatibus accedente libidine, patientia in furorem verſa eſt. Et quidem maritus dedecoris impatiens veſanum adulterum tanquam pudicitiæ victimam ſecuri mactavit. Sed cauſa cædis totis vicis ſtrenue diffuſa, ipſa cæde atrocior viſa eſt, omniumque ani-

animos ad ejuſdem flagitia ſimplices terribili quodam horrore perſtrinxit. Exaudiebantur ex omni parte indignantium fremitus in territa plebe; perventum eſſe ad extrema. Quantum enim abeſſet, ut virgines conjugeſque promiſcue abſtraherentur ad præfectorum libidinem? Sævirent in bona impotentes domini; pellerent domibus, exturbarent agris; cottidianas operas exigerent à ſuis, ut vocant mancipiis; abductis armentis liberos homines ad aratrum mitterent; nihil in ſumma relinquerent quod ſuum quiſque poſſit dicere: dum ſalva tamen pudicitia maneat. Quid enim poſthac eventurum, niſi ut per maritorum damnationes & funera liberum aditum libidini aperiant? Hæc & talia inter ſe muſſantibus, nihil præter ſeditionis auctores deerant, ſingulis adhuc non audentibus invidiæ ſe offerre parendi conſuetudine in metum adulta. At vero quibus altior ſenſus inerat inter ſe conſultabant de malorum remediis. Penſatiſque omnibus, præfectos per inſidias occupare ſuſcipiunt. Tres deinde populos Suitios, Vranienſes & Subſilvanos cum tumultu proclamare ad libertatem, ac in reliquam nobilitatem impetu ferri: Et ſic ad Ludovicum Bavarum deficere. In hæc facinora tacito ſacramento inter ſe obſtringuntur. Tres tantum an plures conſilium inierint aſſeverare nequeo. Paucos fuiſſe in annalibus traditur, promptiſſimoſque omnium Wilhelmum Tellium & Staufaclerum. Cæterorum nomina vetuſtas obſcuravit.

Haut multo poſt conjurationis opinio in vulgus manare cœpit. Iamque etiam ad Giſlerum Vraniæ Suitiæque præfectum rumor irrepſerat, cum per conſcios in originem acerrima quæſtione veſtigare inſtituit. At ſolis rumoribus innixus ad auctores pervenire non poterat. Igitur ad alia mentem adjecit; haut falſa eſſe ſuſpectans quod tanto conſenſu fama differret, etſi verum probari non poſſet. Itaque pileum ſuum Altofi ſuſpendit è pertica, eodemque honore quo ipſum colerent, venerari à prætereuntibus juſſit: ratus conjurationis auctores ſordidiſſimæ reverentiæ ludibrium averſuros. Et forte Tellius arrogantis imperii inſolentiam deſpicere ſuſtinuit, vir ad ſervitutem ferox, & certe dignus, à quo Helvetica libertas inciperet. Ergo in eculeum trahitur tanquam conjurationis particeps. Nullis tamen minis aut cruciatibus vinci potuit ad prodendum tam grande ſecretum, multa aſſeveratione & conſtantia, quantum poterat ſuſpiciones à ſe amoliens. Præfectus fruſtra omnia tormentis expertus tandem filium ejus natu minimum ad ſe adduci imperat, poſitoque pomo in vertice infantis, jubet patrem eminus ſtare intenſoque arcu malum configere; nempe ut formidoloſo artis experimento, in qua alioqui habebatur eximius, miſericordia

filii

filii confeſſionem exprimeret. At Tellius tam crudele imperium fruſtra deprecatus ita forte deſtinavit ut jaculum, illæſo filio pomum diſcuteret. Interrogatus deinde à præfecto multum admirante, Cur duas apparaſſet ſagittas? Vt ſi una, inquit, peccaſſet in puero, altera pectus tuum certiore ictu transfigerem. Tetigit haut dubie præfectum libera vox; ferociamque viri magis ac magis ſuſpectans, vinciri eum protenus jubet, & in Cuſſinaciam arcem trans lacum deferri. Commodum in itinere ſuborta tempeſtas, ita undas attollere cœpit, ut periculum eſſet ne vel ratis abſorberetur à fluctibus, vel ſoluta compage invehentes ſe aquas reciperet. Nihil opis in nautis videbatur, qui tumultuantibus ventis impares nec ſatis periti ad tempeſtates jubebant ademptis Tellium vinculis ſuccedere clavo, ſatellitesque ad cuſtodiam ejus deputatos remis incumbere, ut majori niſu everberati fluctus proximis cautibus applicarent navigium. Ad quem cum perventum eſſet, confeſtim Tellius exiliit in ſcopulum, impulſamque pedibus ratem tempeſtati reſtituit. Dum vectores interim cum procella luctantur, ſpatium illi fuit quo ſe in tutum reciperet. Sic mirabili fatorum induſtria exitio ereptus, Giſleri cædem ex inſidiis maturat, in quam Staufaclerus in omnem occaſionem invigilans ſe quoque accinxerat. Nulla tunc conjuratis ſpes reliqua niſi in armis erat. Igitur inito inter ſe propere conſilio Suiticam primum multitudinem in iram concitant, inſtigando ſingulos ad repetendam libertatem tyrannorum cæde propemodum aſſertam. Deinde ubi plures arrectos vident, advocata concione Tellius in hunc modum verba fecit: Bono animo eſtote cives, ſi viri eſſe vultis, pro foribus ſtat parta libertas. Ego modo hac manu Giſlerum confeci: non ut dolores meos vindicarem aut privatis litarem injuriis: ſed ut liberos vos incolumesque præſtarem, & jam prope præſtiti. Diu eſt quod hæc conſilia habui in animo. In eam rem Staufaclero aliiſque pientiſſimis civium occultum nuper fœdus contraxi. Haut aliam ob cauſam protractus ſum ad tormenta in capite filii calamitoſę artis experimentum feci. Lictorum compedes ſuſtinui tradendus ſupplicio. ſed per tot pericula divina miſericordia ſervatus beneficio tempeſtatis fidem tandem abſolvi meam. Quis enim tam inconditam ſuperbiam, tot importunitates & ſcelera diutius ferret quam neceſſe ſit? Imperatum eſt nobis non ut hominibus. Infra mancipia projecti, inſtar pecudum habiti ſumus. An ſoli ex tota Germania digni videmur, quos tam proterve calcare debeant ſuperbiſſimi domini? quibus nihil poſſidere liceat, niſi quod avaritia faſtidiat? Apud quos ne pudicitia quidem ſancta eſſet? Cæteras urbes imperiales aſpicite quam clementi regantur imperio.

perio. Æque liberi ac illæ ſumus. Eodem more antequam ſub jugum mitteremur, viximus. Quid igitur fecimus nullius criminis conſcii nobis? Quo merito fraudati ſumus communi jure? Opinor nullo alio quam quod ad omnem ſervitutem patientia nos aſſuefecerit. Abominati modo eſtis Giſleri impotentiam: execrati crudelitatem atque libidinem Landebergii: ingemuiſtis ad ejus vocem, qua liberos homines jumentorum loco ad aratrum miſit, & adhuc patiemini ejuſmodi belluas veſtris inſultare cervicibus? An putatis illos tyrannorum ultimos? an ſcelera cum ipſis extincta? Hoc olim ſperaverunt parentes amiſſis præfectis. Idem nuper ſperavimus quoque; cum tamen anteceſſorum nequitiam ſemper deteriores exceperint. ſuccedent mox & alii Giſleris & Landebergiis furioſiores. Quid ergo ceſſamus tot malorum fontes obſtruere? Non jam deliberandum eſt quies an bellum placeat. Nec amplius velle nec nolle poſſumus. Eo perventum eſt unde regredi non licet. Aut bellandum aut moriendum eſt. Totidem rei eſtis quot cives quibus aliquid poſſit auferri. Mox aderunt cum armis expetituri à torpentibus pœnas tanquam noxiis aut contaminatis & hercule ſuſpectis omnibus. Ego ſane corpus meum libens pro vobis tormentis offerrem. Sed avara illa improbitas ad ultionem Giſleri non veniet, ad prædam veniet: exertura gladios in corpora veſtra, quo liberius haſta in bona ſæviat. Permittemus igitur nos jugulari pecorum modo, cum arma habeamus, quibus aut vincere liceat, aut certe honeſte occumbere? Ducem me ſequimini in publicam cauſam. Deficiamus ad Ludovicum Bavarum. Eliminemus extra territoria noſtra totam illam nobilium turbam Auſtriacis obſtrictam. Quid enim nobis cum Auſtriacis hactenus imminentibus noſtræ libertati; ſub quorum denique fiducia impotentes iſti domini tam licenter peccaverunt? Fidem ſuam ſecutos Bavarus non deſeret, ſolidam libertatem daturus ſupplicibus aut conditiones libertati proximas. Abſolvet nos juſtiſſima cauſa. Aderunt Numina in meliorem partem. Pia ſunt arma, quibus nulla ſpes niſi in armis relicta eſt. Finitimi denique ubi nos defeciſſe viderint, accedent in partes, pari odio in tyrannos accenſi. Credite mihi initium tantum ſeditionis exſpectant quam adhuc nemo aliquis audet incipere. Hæc & ejuſmodi feroci & minaci vultu vociferante, inclamabat multitudo ſua ſponte jam mota, non defuturos ſe libertati. Miſſi deinde qui Vranienſes & Subſilvanos concitarent ad tumultum, prona ibi quoque omnia ad ſeditionem inveniunt. Iam tres pagi uno conſilio ad Bavarum defecerant: cum protenus armata manu totis effuſi campis nobilitatem omnem finibus exturbant arceſque eorum diruunt. Hoc libertatis initium,

tium, hoc poteſtatis rudimentum erat. Poſt hæc miſſis litteris Ludovicum Bavarum vehementer orabant, ut in fidem tutelamque ſuſciperet, ab Auſtriacis ad eum tranſituros. Etſi Bavarus ignobiliſſimæ gentis aggregatione parum ſibi virium acceſſiſſe crederet: ratus tamen non inutile auxilium ad avertendum à ſe bellum, paucis collaudatos certiores fecit, in clientelam ſe accipere, & qua poſſet auxilio acceſſurum.

Finitima interim nobilitas exulum precibus fletuque commota rebellionis pervicaciam communibus viribus domare conſtituit. ne ſi impunitum eſſet exemplum & ipſi deinceps leviorem ſuorum reverentiam experirentur. Sed tanta vanitas inflaverat animos, ut quaſi jam debellatum eſſet nihil præter cædes & ſupplicia & carceres in poculis loquerentur. Neſcii ſane rem ſibi eſſe cum deſperatis, & quid & quantum neceſſitas poſſit ad fortitudinem coacta. Commiſſo igitur prælio in fugam acti, mittunt ad Fredericum nunciaturos quo in ſtatu res eſſent. Vereri ſe denique ne latius in proximos ſerperet defectio: omniſque tandem Helvetia dulcedine libertatis reverentiam ejus excuteret. Fredericus tum forte cum Leopoldo fratre intentus erat, ad ſubigendos eos qui in Suevia averſabantur imperium. His ad ſe delatis, etſi videret magno ſibi ad ea quæ parabat fore impedimento, non ſpernendum tamen periculum ratus Leopoldo ultionem mandavit. Gens inter montes ſita pluribus ſed difficilibus patebat aditibus. Conſultanti igitur Leopoldo quo tranſitu commodiſſime bellum aſcenderet Alpes, Cuno prudenti & jucunda amentia oblectare audientem ſolitus forte à tergo aſtans, mirari ſe dixit omnibus de ingreſſu ſollicitis, neminem cogitare de reditu, cum tamen conſtet in diſcrimine ancipitis Martis ſitam eſſe in manibus victoriam ſalutem vero in pedibus conſiſtere. Et certe verum monuerat. At Leopoldus fiducia virium, purpuratorumque adulatione tumens, vilitatem gentis in contemptum vertebat. Via qua traducebatur exercitus paucos admodum capiebat armatos. Pars inter horridos aſperoſque montes in declivia ſubſederat, pars attollebatur in rupes. Occurrebat deinde ſemita, in cujus uno latere abſciſſa abruptaque cautium faſtigia ſurgebant in cuneos, ab altero Egriſius lacus ſub altioribus ripis ſe paullum depreſſerat. In hujus extremitate Suitii adventum hoſtium opperiri decreverant, diſpoſitis qui laterent ad inſidias, quique in rupibus conſiſterent. Quippe de Auſtriacorum apparatu admoniti, magna cura ad propulſandum bellum ſe inſtruxerant, nemine domi relicto qui per ætatem arma ferre poſſet. Totum agmen peditum erat, ſed deſperatione veniæ efferatum. E contra quo plus roboris

Leo-

Leopoldo in equitibus per fiduciam negligentia creverat. Nihil conſilio vel ratione agere. Iter inſtituere tanta ſecuritate, ut non præmitteret ſcrutaturos cautes, ne quis denique prohiberet ingredientes, aut ex inſidiis incautos opprimeret. Hoc modo primum agmen pervenit ad hoſtem, confertas objicientem haſtas & ſecures, ne equites præire juſſi penetrare poſſent. Tunc ex montium jugis magna vis telorum ingerebatur in ſubeuntes. Saxa denique ingentis magnitudinis propulſa, equos juxta hominesque ſternebant. Deinde qui in inſidiis hæſerant, poſt extremum agmen oſtentant ſeſe. Turbari ergo cœpit tota acies. Nam nec regredi amplius nec progredi poterant. A tergo, à fronte inſtabant hoſtes, pecorumque ritu ante ſe agebant pavore concuſſos. Equitum alii præcipitabantur in lacum, alii per ſurgentia mortuorum cadavera nitentes aut ſuperne vi telorum, aut à ſequentibus ferro conficiebantur. Cæteri vero huc illuc diffluebant, qua cuique per occultos devioſque ſaltus iter patebat. Cecidere Auſtriacorum equites mille & quingenti propemodum omnes ſtirpe illuſtres. Inter eos quatuor Tockenburgios, annales referunt. Leopoldum cum paucis optimatum peritus locorum per colles abduxit. Victores exinde ſine controverſia liberi ſuo quaſi auſpicio regi cœpere, ictumque inter eos ſanctius duraturumque fœdus, quod Ludovicus Bavarus poſtea ſalvo jure imperii ratum habuit. Hinc Suitii dicti promiſcue omnes: quia contractum fœdus inde cœperat. Conclamatis in Helvetia rebus Fredericus interim nihil meliore ſucceſſu bellum in Suevia extraxerat; Eſſelinganis & Hailbrunnenſibus maxime infenſus; quos conſtanti favore Ludovici imbutos diu multumque concuſſerat terrore & minis. Quippe ad tentanda mœnia non ſatis illi virium ſupererat, copiarum parte à Leopoldo abducta. Ad ultimum pervicacia eorum victus exercitum in hiberna reduxit, urbanis vitibus exſcindi juſſis.

*An.* M CCC XVI. Habendis delectibus hyems conſumpta eſt, quos ex omni parte cogebat Fredericus Helveticæ cladis pudore & magnitudine perculſus. Nec minori apparatu ſtrepebat Bavaria. Quippe Eſſelingani ad Ludovicum miſerant oraturos auxilium; utique certi appetente vere bellum rurſus ad ſe tranſiturum. Nec aberrarunt à conjectura. Fredericus enim ad maturandum urbis excidium properans, in ſuburbiis caſtra locavit, averſurus Neccarum amnem ab oppido, qua muros ſubire ſtatuerat. Sed eos qui pro opere ſtabant magna vi telorum tormentorumque obruebant oppidani, ſubinde etiam eruptione facta in fugam conjiciebant. Dejectus ab hac ſpe Fredericus copias in editiora traduxit, applicatis ſcalis evaſurus in mœnia. Cives propemodum ad ultima

tima compulſi rurſus mittunt ad Bavarum, ſignificaturos diutius reſiſti non poſſe: præſtituebantque ſpacium intra quod, niſi accederet, minabantur ſe dedituros urbem. Itaque Bavarus acceptis Bohæmi Trevirenſiſque copiis, feſtinatis itineribus Eſſelingam perveniens ad Neccarum amnem fixit tentoria, in cujus ulteriorem ripam Auſtriaci ſe ex montibus comperto ejus adventu receperant. Alveus fluminis non admodum in latitudinem diffuſus pluribus locis aperiebat vada, maxime equitibus, qui ad margines utrimque in ſtatione poſiti invicem ſe miſſilibus laceſſebant. Quoties vero adaquandis jumentis altius in undas veherentur ſtatim occurrebant ex hoſtibus qui ſingulari certamine exciperent procedentes & ſummo rerum diſcrimini præluderent. Hæc velitatio variis ſucceſſibus adulta utrumque tandem exercitum traxit in prælium. Nam qui hinc inde ſtabant in ripa, cum identidem ſubmitterent auxilia laborantibus ſuis, ad ultimum turbarunt tota caſtra clamore & tumultu, crederenſque datum prælii ſignum. Itaque omnes inſiliebant in equos ſubditiſque calcaribus incondito ordine ad ripas ferebantur. Nemo audiebat monentes præfectos, ut convenirent ad vexilla & in ſuum quiſque manipulum ſe reciperet. Ipſi denique imperatores auctoritatem amiſerant, qui huc illuc prævalentibus vecti equis pari ſollicitudine tangebantur, ne pulſis ſuis ex flumine hoſtilem exercitum intra caſtra reciperent. Tumultus erat non prælium. Vtramque ripam complebant armati. Equites in amne commiſſi cohærentibus dimicabant agminibus propemodum immobiles. Nec enim referre pedem nec promovere poterant cum à fronte hoſtes à tergo ſui obſtarent conferti. Nihil aliud relictum erat, quam vel honeſte cadere, vel ſtrenue perſiſtere donec hoſtem pellerent veſtigio. arma armis pulſabant, cum vano ictu cataphracti peterentur mucrones in jumenta dirigebant. Cæterum anguſtia loci univerſas vires non patiebatur congredi. Plures ergo ſpectabant prælium; qui præfectorum juſſu in ordinem coacti, monebantur circuire flumen, & in adverſam ripam tranſitum facere, vel quacumq; idem hoſtes molirentur, arma ſua objicere tranſeuntibus. Tum pluribus locis oriebatur pugna. Iamque multum ſanguinis abſumptum erat, cum nox interceſſit furentibus, & incerta victoria diremit pugnam. Plures vulnerati ſunt quam cæſi, majorq; equorum ſtrages fuit. Nam mille quingenti occiſi traduntur. Militum numerum annales prætereunt. Deſiderati ſunt ex Auſtriacorum Optimatibus Kirchbergenſis regulus, & Wernerus Hombergii comes: quorum ille interfectus, hic captus. Inter Bavaros Ludovicus Ottingenſis comes virtute & gloria eminuit, bello inclytus & pace, utiliſſimus Ludovico, & præcipuus

cui ſecreta ejus inniterentur. Stephani vero Gumpenbergii ſpectata moderatio eſt; qui ſuorum cuneos prægreſſus, cum in Henricum Sweinkeriſtium pari ardore præcurrentem infeſta haſta inveheretur, equum ejus forte confodit. Proſtratum autem æmulum, ne à ſuccedentibus opprimeretur, hortatus eſt ut in ſuum equum aſcenderet, exceptumq; tergo perduxit in caſtra. Eundem deinde ad curanda vulnera redire domum patitur ſola fide in pignus relicta. Prorſus ut appareret in publico odio privatis tantum de virtute & gloria fuiſſe certamen. Vix amicitiæ hodie ſanctius coluntur quam tunc bella. Nec alter fefellit promiſſa. Eodem enim cultu quo militaverat, ſervatori ſuo captivum ſe rurſus ſtitit. Adeo etiam inter armatos ſancta & incorrupta fides erat illo ſæculo, quam nunc malitia temporis in pace proſcripſit. Externarum enim gentium vitia ſic afflixere Germaniam, ut ſuis moribus vix relinquatur.

Hoc virtutis experimento invicem capto neutri amplius mens fuit tentare fortunam. Fredericus rationem belli mutaturus Leopoldo fratri ſubigendam Sueviam tradere decrevit: ipſe vero ut Ludovicum inde averteret armata manu in Bavariam proficiſci. Sed hæc conſilia turbavit Columbariorum nunciata defectio.

Cæterum in turbulento illo imperii ſtatu, haut minori diſcordia fervebat Eccleſia. Biennium erat, & ſex amplius menſes ex quo deceſſerat Clemens Quintus Pontifex Maximus, & adhuc diſſidebant Purpuratorum ſuffragia ſucceſſorem quærentium. Singulos in ſua conſilia intentos Galli & Itali in duas factiones diſtraxerant. Sed Apoſtolica Sedes in Gallia erat, populi Romani ſeditionibus offenſa, Imperatorum denique ſupercilium effugiens. Et hinc Gallus Pontificatui gravis, & propemodum incumbens, quærebat aliquem ſuæ gentis admovere faſtigio, quem veluti captivum retineret in Gallia, memoremque majeſtatis ſub qua creverat ad omne ſibi obſequium reverentius aſtringeret. Itaque partim minis Purpuratos adortus, partim muneribus & promiſſis ſollicitans quos maxime rebatur idoneos, plurium animos quo volebat facile impulit. Accedentibus ſtudiis Philippi Comitis Pictavienſis; qui & ipſe cum fratre rege conſentiens, nihil intentatum relinquebat ut ſi qua poſſet iter aperiret ad concordiam. Placuit tandem compromittere in unum aliquem ex Purpuratis, qui omnium nomine Pontificem diceret. Honorque ille delatus eſt Iacobo Cathurco Cardinali Portuenſi. Chariſſimus is erat Galliæ regi, olim ejus Cancellarius: ſed amiſſa uxore ad ſacerdotium reſpiciens, eodem rege annitente, in Purpuratorum ordinem ſurrexerat. Itaque belliſſimam

hanc

hanc occaſionem hautquaquam negligendam ratus, cæteris exſpectantibus quem eo faſtigio digniſſimum arbitraretur, iiſdem ſtupentibus ſeipſum elegit, appellatuſque eſt Ioannes Vigeſimus-ſecundus. Ad quem Bavarus ſtatim direxit gratulationem & vota portantes, ſimul his electionis ſuæ auctoritatem petituros. At ille ingenio vafer & callidus, benigne quidem excepit legatos ad ſimulationem ſe componens; iiſdem deinde inſtantibus ut abſolverentur, differendum eſſe negotium reſpondebat, donec ſuccederent oratores Auſtriaci, ut penſatis utriuſque tabulis deſpicere poſſet uter juſtius eſſet electus. His dictis demiſſi legati referebant domum obliqua ſubtilitate repulſam. Non amore in Fredericum. Quippe paullo poſt legatos ejus contumelioſe excepit. Cum enim Conrardus Gurcenſis Epiſcopus legatorum princeps Frederici parentes impenſe laudaret à pietate & reverentia Apoſtolicæ Sedis: Credo, ait Pontifex, verum eſſe: ſcito tamen Salamonem prudentiſſimum regem genuiſſe ſtolidiſſimum filium. Deinde quod attineret ad petitionis ſummam, turbando negotio pares moras injicere cœpit, aliturus inter Principes diſcordiam, ut Germanicas vires in mutuam perniciem diſtractas procul averteret ab Italia: atque interim ipſe rebus ibi ſuis occioſe conſuleret.

Cum Auſtriaci in Alſatia tota mole Columbariam premerent, Bavaricarum partium principes ſociæque civitates ad Ludovicum convenerant: qui cunctantibus fœderatorum auxiliis bello impar: ſimul etiam ſuarum partium diſcrimine anxius, adeſſe omnes juſſerat, de ſumma rerum inituros conſilium. Communicato igitur privatim negotio cum præcipuis, paciſque & belli momentis expenſis, incoram omnium in hunc ſenſum locutus eſt. Protractum in duos annos civile bellum quam triſti ſydere Germaniam percurrerit, aut fando aut patiendo didiciſtis. Plerique etiam in itinere experti ſunt terrarum vaſtitatem quam armorum noſtrorum furor fecit. Occurrunt enim ex omni fere parte domus & vici recenti adhuc incendio fumantes, municipia & oppida cædibus ac rapinis exhauſta, & tantum non totæ deſolatæ provinciæ. Squallent ſtrati cadaveribus campi, flumina nobilium ſanguine rubicunda fluunt, & adhuc tot calamitatibus nihil profectum video ad rerum ſummam. Quis tandem futurus ſit exitus, ſuſpenſis adhuc conſiliis fortuna deliberat. Hoc unum affirmare poſſum, nec me affectaſſe imperium nec civilis belli initium dediſſe. Nunquam niſi laceſſitus arma cepi, nunquam prior copias in campum eduxi. Auſtriaci ſemper in acie ſtetere priuſquam ego vexilla erigerem. Imperium autem ultro oblatum terrore mortis ſuſcipere coactus ſum. Ac ni putaſſem nefas eſſe Fredericum

pati comitiis illudere, & privatis auſpiciis inſultare faſtigio: niſi etiam credidiſſem, conſtantiam meam cum ſalute publica eſſe conjunctam, eodem certe animo quo tam grande onus ſuſcepi, jampridem abjeciſſem à capite. Et ideo vos potiſſimum convenire juſſi ut ſinceris judiciis conſuleremus in medium, quid optimum factu ſit, utrum jurgia noſtra perſequi gladio, an pace dirimere. Alterutrum vobis hodie ſtatuendum eſt. Nolite pro me eſſe ſolliciti, ſecuros vos eſſe jubeo. Si bellum conditionibus finire placet, per me non ſtabit etiamſi deſcendere oporteat de ſolio. Nihil enim mitius ab Auſtriacis exſpecto, qui nunquam quieſcent, donec me recepero ad ſtatum quem ante fortunam habui, vel ruina ipſorum conſequar, quod quærunt ex mea. Tanti purpuram non facio, quæ tot curarum mihi cauſa, tot innocentium civium cruore emenda eſt. Satis ſplendoris à majoribus accepi, ſatiſque gloriæ relinquam poſteris, ſi abſque omni exemplo tantum detulero reipublicæ, ut in gratiam tranquillitatis, diadema, quod retinere poteram, ſponte abjiciam; futurus ſucceſſoribus documento, ne tam grande pretium ambitioni impendant. Si vero exiſtimatis inſtandum bello, ego quoque reipublicæ non deero. Pacem & arma ferre poſſum. Sed adminiſtranda ſunt à vobis ſubſidia, quæ privatæ opes ultra non tolerant. Parem hoſtibus exercitum nec comparare poſſum in Bavaria, nec ſi maxime inveniam diutius ſuſtinere. Exhauſtum eſt ærarium meum: bona ſunt creditoribus obnoxia: ad delectus, ad ſtipendia ſumptus deficiunt. Provinciales copiæ partim feſſæ, partim attritæ diuturna militia haut obſcura periculorum detrectatione, inter ſe muſſitant. Columbaria interim obſidetur ab hoſtibus, & ni quid opis in nobis ſit, ſuccumbet tempeſtati. Periculum deinde erit, ne & cæteræ civitates ubi ſe deſertas viderint, uno impetu ad Auſtriacos deficiant. His magno cum gaudio auditis, laudataque animi ejus magnitudine, continuandum eſſe bellum decernunt: denique ut principes haberent delectum, cives in militem ſtipendia conferrent: Ioannes Bohæmiæ rex Ludovico accederet in Alſatiam moturo; cæteri diſtrahendis hoſtibus per diverſa terrorem circumferrent, vel ſi videretur Archiepiſcopum Colonienſem in ordinem redigerent.

Bavaricarum partium ſumma ex tribus conſtabat capitibus, Moguntino, Trevirenſi, & Bohæmo. Nam inferioris Bavariæ principes alienis jurgiis ætas ſubduxerat. E contra, Auſtriacorum potentia in quinque principatus diſtracta erat. Quatuor enim Frederico ſupererant fratres, Leopoldus, Albertus, Henricus & Otto; magnum ad fortunam adjumentum ſi adfuiſſet omnibus idem animus. Cæterum Albertus pedi-

pedibus æger à marte abhorrebat. Henricus quantum fratri deferebat, tantum Bavarum non oderat, in Italica quam civilia arma propenſior. Plerique in Ottone conſtantiam deſiderabant. At Frederici & Leopoldi obſtinata concordia vulgo etiam invicta habebatur. Nec deerant Leopoldo vires: quidquid enim ad Alſatas Suevoſque jacet hereditario jure à patre acceperat. Henricus Carinthius ſpe Bohæmiæ in partes impigre tranſgreſſus, hactenus contumax. Majori pervicacia agitabatur Archiepiſcopus Colonienſis, armorum quam ſacrorum ſtudioſior: cunctis tamen circa ſe hoſtilibus tumultum magis excitabat quam bellum. In cæteris Electoribus nihil irarum. Saxo pecunia Auſtriaca ſaginatus, collatione ſuffragii exolutam Frederico fidem obtendebat. Brandeburgicus orbam liberis ætatem fovebat ocio & pace. Ambo denique inter ſe concordes, proculque bello diſcreti ſtudia partium poſt comitia depoſuerant, fide invicem data, mutuis ſe auxiliis propulſaturos arma à finibus, ſi quis vellet inferre. Reſidui principes in Superiori Germania fortunæ ſucceſſum quieti opperiebantur, quaſi nihil ad ſe pertineret litis atrocitas: imperatore contenti quem electio in conſenſu, vel inter diſcordias gladius imponeret.

At in Inferiori Germania Guilielmus Hollandiæ Comes, Gerardus Comes Iuliacenſis, Adolphus Comes Montenſis, Ioannes Comes Chiniacenſis, Moguntino & Trevirenſi ſocietatem in bellum promiſerant. Decretum enim erat Archiepiſcopi Colonienſis furorem & contumaciam fractum ire. Ioannes Comes Hannoniæ Guilielmo fratri aderat cum non ſpernendis viribus. Populus Colonienſis in cohortes ſignaque diſtributus ſequebatur eos, injurias ulturus quas ab Archiepiſcopo acceperat frequentes, civium commercia turbante. Iamque arcx quam incolæ Broëlam appellant obſidione cincta erat. In eam ſe Archiepiſcopus receperat cum præſidiis, tutaturus ingentis operis muros donec à Frederico & Leopoldo, quos conſtabat eſſe in armis ſuccederent auxilia.

Sed jam Auſtriaci quoque diſtinebantur proprio bello. Quippe Ludovicus juncto ſibi Bohemiæ rege in Alſatiam pervenerat. Fredericus deſtituta Columbariæ obſidione obviam progreſſus caſtra promovit haut longe à vallo quod cum ſuis inſederat Bavarus. Ibi cum torperent mutuo metu retentæ acies, Ioannes Bohæmiæ rex in medium ſe immittere cœpit, ac mentionem fœderis inferre. Pactæque jam induciæ, non modo liberum aditum dabant utrinque in caſtra commeantibus; ſed & Optimatum præcipui mutuis epulis ſecuritatem augebant. Per varia deinde caſtrorum ſpargebatur hilaritas. Nam ut quiſque in notum offen-

offenderat amplectebatur corpus quod paullo ante ferro dovoverat. Diceres pacem eſſe non bellum. Principes maxime ad ſtabiliendas res ſuas affinitates miſcebant. Ioannes Bohæmiæ rex ſororem ſuam Mariam Henrico Carinthio: & è contra Carinthius Margaretam filiam adhuc impuberem Ioanni Bohæmiæ regis filio, & ipſi quoque impuberi deſpondit. Hæc eſt illa Margareta quam vulgo Maultaſcham nominant ab oris magnitudine. Ludovicus Cæſar Ottoni Auſtriaco Eliſabetam conciliaverat, ſororem ducum Inferioris Bavariæ Stephani filiam. Fredericus vero ſororem ſuam Gutam Ludovico comiti Ottingenſi tradidit. Inter quæ Ioannes Bohæmiæ rex non deſinebat æmulos hortari ad fœdera. pervicitque quod dificillimum ерат, ut in colloquium venirent. Quid dixerint quiſve inceperit à nemine relatum eſt: coiviſſe tamen ferunt, quantum ex vultu colligi poterat benignis animis.

Sed inexſpectata hæc animorum converſio magis vires invicem ſubtraxit, quam æmulorum jurgia compoſuit. Ottingenſis comes antehac Ludovico Cæſari chariſſimus, ad Auſtriacos defecit. Ottonem Auſtriacum nuptiarum ſpes pro fratre pigriorem reddidit: Carinthium autem ſubtraxit civili bello. Et quamquam Bohæmi ſoror Carinthium exoſa repudiabat omen nuptiarum, perpetuam ſe virginitatem voviſſe ſimulans: Maultaſcha tamen matrimonii ſpe patrem ſocerumque in concordia retinebat. Cæterum an pax vel induciæ convenerint inter ipſos æmulos principatus pro certo affirmare non poſſum: arma tamen ad tempus dilata ſunt. Ioannes Bohæmiæ rex in Broëlenſia caſtra ſe recepit, fatigatumque obſidione Colonienſem Archiepiſcopum in pacis conditiones deſcendere compulit. Ludovicus junctis ſibi Moguntini & Trevirenſis copiis Wisbadenſem primum arcem deinde & Scharfenſtainiam quaſſavit. Sed cum tarda videretur obſidio domum rediens adjecit animum ad componendos motus qui in Bavaria inferiore ſurrexerant.

An. MCCCXVII. Inferiorem Bavariam ea tempeſtate tres principes communi jure tenebant; Henricus Iunior Ottonis filius, vulgo Naterenbergenſis dictus adhuc impubes; Henricus Senior & Otto fratres Stephani filii, & ipſi quoque vix ex ephebis exceſſerant. Communem omnes avum Henricum Ludovici Severi fratrem referebant. Cæterum Naterenbergenſis grande æs alienum exceperat à patre contractum Vngarico bello. Patrueles ejus Henricus & Otto de dotibus ſollicitabantur, quas nupturis ſororibus præſtare oportuit. Ad ſublevandas haſce anguſtias, viſum eſt iis penes quos erat regiminis ſumma, nihil commodius, quam extraordi-

ordinaria collatione populum ad tributa cogere. Vectigal itaque indicunt, quod in ſingula pecora cives & coloni promiſcue inferrent. Plebs ad patientiam aſſuefacta imperio principum modeſte deferebat. Sacerdotes vero & monachi acerrime iraſcebantur, frementes violari Eccleſiaſticam libertatem, peſſimique morem exempli ſuo ordini inferri. Iamque ad Epiſcopos indignatio ſurgentes undique querelas detulerat: quos rei novitas adeo percuſſit, ut provinciæ omni interdicerent ſacris, donec conferendi tributi neceſſitate Eccleſiaſtici ſolverentur. Quippe in ſimplici morum innocentia illius ſæculi trepida pietas tantam in principes licentiam fecerat. Et quanquam hæc contentio interventu Ludovici ſopita eſt; ex eo tamen Fredericus Leibnuzius Salisburgenſis Archiepiſcopus à Bavaris averſus, ſollicitantibus legatis, ſeceſſit in partes Frederici; qui diuturnæ quietis impatiens in nova belli conſilia incumbebat. Albertum Pataviensem Epiſcopum, amita ſua genitum & Saxoniæ Ducis fratrem, paullo ante in ſocietatem traxerat, virum armis quam mitræ aptiorem, ad quam haut adeo nuper ex militia ſe contulerat, inopem pacem refugiens.

Sed non Ludovicum fallebant hæc molimina, vigilantem ad res ſuas, & ex omni parte ad auxilia intentum. Inferioris Bavariæ principes octo marcarum argenti millibus conducti ſunt ad ſtipendium, quatuor arcibus pignori traditis, donec ea pecunia refunderetur, vel ex tributis ipſi conficerent. *An. M CCC XIX.*

Iamque Auſtriaci maturis rebus poſt trium annorum quietem reſumebant bellum. Leopoldus enim ex Alſatia ad Lycum amnem ſigna transferebat, evaſurus inde in Bavariam cum octingentorum equitum manu, ex ſuis ſociorumque clientibus ad hoc collecta. Ex alia parte Fredericus ex Auſtria ad Oenum flumen longe majorem trahebat exercitum, diſtractis Bavarorumq viribus experiri certus fortunam prælii: vel ſi Ludovicus cum tota mole ipſi incumberet juſſus erat Leopoldus deprædari provincias, aut ſi ita res ferret fraternis ſeſe copiis conjungere. Sed nec Bavarus hoſti cedebat alacritate & viribus, quas ex omni parte ad ſigna compulerat advenientis belli diſperſa tempeſtas. Henricus Senior Dux Inferioris Bavariæ multum quoque militum adduxerat, decem & octo annos natus ut ſub militia Cæſaris ex fœdere tyrocinii rudimenta deponeret. Frederico ad Muldorffium appulſo haut procul inde Bavarus conſedit, paratus & ipſe de ſumma rerum gladio decernere. Dicta erat prælii dies: cum intempeſta nocte in caſtris Bavari rumor exiit incerto auctore, actum eſſe de Ludovico, quem prima luce affuſum aræ ſuorum inſidiæ decreviſſent immolare. Vtrum periculum *An. M CCC XX.*

lum an ſimulatio fuerit de induſtria ad terrorem compoſita parum compertum eſt. Convenit tamen milites inferioris Bavariæ non omnes integram fidem in bellum attuliſſe. Confeſtim ergo fremitus diffudit ſe per tentoria, quærentium de ſcelere certiora, & quid audiſſent aliis referentium. Iam & fama manare cœperat, corrupta eſſe latius caſtra, & Auſtriacos proditioni imminere. Nec tarde credebatur: ut in territa plebe ac tumultu, quidquid ſinguli timendo conjiciunt, ſolent omnes pro vero accipere. Summa inde turbatio fuit. Multi conſternati metu ſigna deſerebant. Hi ſequebantur præcurrentes, illi contubernales aut obvios ſecum trahebant. Crederes imperatum ut fugerent; maxime poſtquam idem terror Henricum Ducem in fugam abſtulerat. Ludovicus ſuorum tumultu tarde excitatus, & haut ſecus quam par erat motus, per varia caſtrorum ferebatur ſolitudinem ſtupens. Quidam Optimates pudore aut fide in Regiam compulſi, hortari eum non deſinebant, ut creſcente periculo ſe quoque in tutum reciperet. At ille inter pudorem metumque hæſitans, ad ultimum curſum Monachium inſtituit. Ingens clades accipi potuit ſi Fredericus inſtitiſſet perculſis. Sed ille omnium ignarus quæ apud hoſtes gerebantur deſtinato prælio cogitationibus præludebat. Liquidiore demum luce de fuga hoſtium certior, terribili procella Bavariam inundavit. Nihil fere crudelitas militum reſiduum fecit. Sævire in colonos, vicos incendere, expilare monaſteria, Sacra omnia & profana rapere. Solis urbibus munitiſque arcibus abſtinebatur, quia peditum catervæ ad vim deerant. In has plerique nobiles profugi, flammantium arcium ſuarum fumum cum indignatione & gemitu eminus intuebantur. Quidam incuſabant commilitonum vecordiam; quaſi primi ad fugam deſtituiſſent ſigna, ut intra patriam graſſaturum hoſtem reciperent. At hi rurſus in alios culpam congerebant: ac nemo voluiſſe, quod omnes fecerant. Iam totam fere provinciam duorum menſium furor abſumpſerat, cum Fredericus iter in Nortgoiam pronuntiari jubet ad paria facinora. Cæterum medius interfluens Danubius nuſquam aperiebat vada, & ad pontem naves deerant, quas incolæ partim depreſſerant, juſſu magiſtratuum, partim in tutiora ſubduxerant. Mittit igitur qui hortarentur Ratisbonenſes, ut intra muros exercitum admitterent in ulteriorem ripam ſine noxa tranſiturum. Gunpertus quidam inter cives gratia & auctoritate eminebat. Is populo facile perſuaſit, ne deponeret ſtudia Bavaricarum partium propiore utilitate, aut Nortgoiam vaſtari permitteret, unde finitimis undique vaſtatis civitati potiſſimum alimenta ſubveherentur. Averſi igitur à Frederico civium animi, clauſas portas

objiciunt venienti armatoſq; in muris oſtentant. Ille pervicacia eorum ſublatus in iram, ſuburbanis tectis ignem injicit, tabernaſque quas negotiandi cauſa habebant Viennæ frequentes hoſtiliter diripi juſſit. Hinc in Auſtriam rediturus populatur fines inferioris Bavariæ. Gentis principes adventu ejus territi, urbium munimentis incluſerant ſeſe, coactis civibus ad vexilla, juſſiſque agricolis pariter armatis, in proxima oppida aut arces ſe cum fortunis recipere. Vilshovia denique ad ſuſtinendum hoſtium impetum latericiis muris clauſa eſt.

Inter hæc fortunæ tela, ne quid deeſſet ad malorum ſummam, Beatrix Ludovici uxor morbo extincta eſt. Quatuor ei ſupererant liberi, Ludovicus, poſtea Brandeburgenſis dictus, Stephanus, Machtildis, & Agnus. Genus è Polonia regium dignis quoque virtutibus impleverat, moribus ſanctiſſima quibus totam familiam ſic inſtruxerat ut templum quam Regia videretur. Sed hæc calamitas quæ marito videbatur indigniſſima, iter illi ad majoris potentiæ incrementa aperuit. Adeo ſæpe Numina ſub acerba injuriæ ſpecie imponunt hominibus, quibus feliciora propinare conſtituunt. Sed nos mortales ad fatorum induſtriam cæci, ſequeſtramus animum à futuris, & in præſentia defixi bona, ægerrime hæc patimur avelli à nobis: cum tamen Deus raro læta aut triſtia diſpenſet ſine mixtura: vel ſi perſeveret affligere conſtantiam noſtram ad æternam illam beatitudinem invitat. Ludovicus interim ægrum mæſtitia ſpiritum Monachii trahebat. Impenſius tamen lugebat publicas calamitates ad omnia provinciæ vulnera ſuſpirans, quæ pavidi agreſtes in urbem retulerant. Nec modo animum flagellabat tacita ægritudine, ſed etiam inter amicos vocem non premens, nunc proditioni iraſcebatur & inſidiis, nunc ſuorum ignaviam conviciis mordebat: nunc maledicebat fortunæ, quod per rixas & ſanguinem volutatum ad culmen, injuriis & ludibrio ad inimicorum ſatietatem exponeret. Interdum ſe ipſum accuſans. Quid opus, inquit, habebam diademate? Poteram fortunarum mearum ſecura poſſeſſione tranquillam ætatem otio tradere, totumque illud tempus revocare ad animum quod inter diſcordias & prælia abſumpſit infelix impietas. Abominor diem illum & inter atros maxime numero, quo primum faſtigio pedem intuli. Cur non illud amandavi ad alios? Cur perſuaderi mihi paſſus ſum, ut in eminentiam ſurgerem, ad quam per cumulata totis campis cadavera crudeliter enitendum eſt? Debueram ad majorum meorum exempla reſpicere, quos pietas clariores quam purpura fecit. Nihil illis ad felicitatem defuit; nihil mihi quoque deeſſe poterat, ſi felicitatem meam potuiſſem agnoſcere, majori quam vellem documento expertus, quanta ſit infelicitas

Germanorum principum, quos in præcipiti & lubrico ſtantes ſemper lancinat objecta anxietas, ne præcipitentur ab æmulis vel ut eoſdem ipſi de potentia dejiciant. Agitare deinde cœpit, an non melius eſſet vitam aut captivitatem redimere ſceptro, quam hoſtium cupiditatem temere extrahendo, ſibi ſuiſque implacabilem relinquere. Sed amicorum chariſſimi ab hoc conſilio penitus abhorrebant trepidumque ac diffidentem rebus ſuis jubebant eſſe bono animo. Nec dum ita conclamatum eſſe, ut non poſſit ſuccedere ſperata felicitas. Vulnus quod inflixiſſet hoſtis, nihil detraxiſſe rerum ſummæ. In privatorum maxima ex parte incommodum redundare. Nec alio modo bella geri, quam ut adverſis proſpera in fortunæ varietate compenſentur, donec de ſumma rerum fata conſtituant. Conſtare provincialibus fidem. Eundem ſervare animum quem in pace habuiſſent. Non modo neminem defeciſſe ad hoſtes, ſed pari omnes injuria læſos ſpirare vindictam. Et proinde nuperam conſternationem fortiter ferret. Errore vel amentia peccatum eſſe à ſuis panico terrore lymphatis. Nam ut maxime dubium eſſet an quiſquam ei inſidiari voluerit, cum nec indicia ſceleris, nec veſtigia emicent: certum tamen eſſe alieno pavore correptos refugiſſe à caſtris. Et ſi quid ſubfuiſſet occulti facinoris, ad Inferioris Bavariæ milites pertinere, quorum multos corruptos donis, aut Auſtriacis affinitate annexos infamaret populus. In Moguntino, Trevirenſi & Bohæmo conſtantem ſpem poneret. Auſtriacorum proterviam ferri non poſſe. Neque unquam commiſſuros ut ipſe infra æmulum projiceretur quem tanto ambitu elevaſſent ne cogerentur illi genua Frederico ſubmittere. Caperet modo animum rege dignum, & qua fortitudine præterita toleraſſet, ſimul & futura experiretur. Gubernatorem clavum non dimittere in tempeſtate. Deum ſæpe injuriæ ſpeciem beneficiis præmittere. Adhæc quantumcumque fortuna tonaverit honeſte tamen deſcendere non poſſe. Reges faſtigiis cohærere affixos. Eundem debere eſſe imperii & ſpiritus finem. Perſtandum in ſtatu unde nec progredi nec regredi licet. Et quo violentius incumberent procellæ eo fortius contra niteretur. Pudendum ſibi, pudendum poſteris ad privatam ſortem metu redigi. Ignavos & imbelles formidine compelli ad deſperationem, fortes & magnanimos inſiſtere ſpei, nihil inexpertum relinquere, luctari cum fortuna, ſemperque exſpectare meliora præteritis. Numina denique conſtantiam experta plerumque omnia mutare in melius. Confirmatus his dictis, animum applicuit ad fortiora conſilia. Confeſtim igitur ſuarum partium proceribus ſignificat, quo in articulo res eſſent. Nam & Leopoldus ex Bavaria regreſſus acri ob-

obſidione Spiram premebat. Stimulaverat illum loci opportunitas, ſuccinctum auxiliis quinquaginta novem civitatum, quas crebris damnis Spirenſes perculerant.

Cæterum Moguntinus & Trevirenſis de fortuna partium ſolliciti arma quoque ſedulo inſtruebant. Terrebat eos maxime Spirenſis obſidio; ne deditione facta, Rhenus in hoſtium poteſtatem concedens, bellum ad ipſos tranſmitteret. Sed Leopoldus octo menſium obſidione fatigatus, cognita civium pervicacia in Alſatiam revertitur. Ad quem opprimendum Bavarus præparatum ab Archiepiſcopis militem excipiens, raptim eo ſigna tranſtulit. Quatuor millia equitum erant, partim ex Luxenburgenſibus finitimiſque contracta, partim ſubmiſſa à Principibus qui partes ejus volebant adjutas. Vix fidem Leopoldus habebat nunciantibus, tantum virium in ſe ingruere. Dubitatione autem exempta haut mediocriter turbabatur, nullis erat inſtructus equitibus, queis Spira rediens miſſionem dederat. Cohortes civium defluxerant domum. Longum erat revocare procul diſſipatos ægreque coituros ad vexilla quos diuturnæ expeditionis faſtidium confecerat. Confeſtim igitur ad legiones ſe recepit, quas Ioannes Argentinenſis Epiſcopus & Vdalricus Comes Ferretanus in omnem fortunam ſub ſignis retinuerant ad Bruſcam flumen. Peditum agmen erat agreſte & horridum; perinde armatum. Secures aut haſtas inclinabant in humeros. Paucis ſica ad latus; ſtolida tamen audacia ingeniique ferocitas ad omne diſcrimen impavidos effecerat. Ludovicus Leopoldum evaſiſſe certus tranſtulit caſtra haut procul hoſtium vallo. Ibi ſe mutuis convitiis inceſſebant exercitus. Ludoviciani ruſticitatem Leopoldianis, Leopoldiani vecordiam Ludovicianis objectabant; & neuter falſo. Clamantibus his ut in pedes recepti ſecum congrederentur, æquatoque marte virtutis experimentum facerent: illi econtra regerebant, pollutam iri nobilitatem ſuam ſi cum viliſſima gente componerentur. Sed re vera, ut poſtea compertum eſt, animos eorum obſederat pavor; oberrante ante oculos clade quam Leopoldo nuper Helvetii intulerant. Denique Ludovicus Argentoratum profectus admonuerat præfectos ne quid abſente ſe moveretur in caſtris. Nolebat enim ſeque & fortunam in diſcrimen mittere Frederico abſente; cum victo Leopoldo nil relaturus eſſet prȩter vulnera & gloriam. Argentoratenſis civitas diſcordiis agitata receſſerat in duas factiones. Optimates cum Epiſcopo res ad Fredericum trahebant. Zornii dicebantur. Plebs ad Ludovicum defecerat Mulhemio duce; qui populari ingenio humiliorum animos obnoxios tenens, de ſuo nomine vocabat Mulhemios. Et hi in turbis plus pote-

rant. Ludovicus intra muros receptus, in templum deducitur à multitudine; quæ juxta portas exceperat intrantem: privilegiiſque civitatis ad aram confirmatis, in privatum conceſſit hoſpitium. Haut multos procerum habebat in comitatu, juſſis ſatellitibus cum reliqua principalis fortunæ pompa in caſtris ſubſiſtere. Pro foribus hoſpitii pauci excubabant cum armis ex civibus delecti. Cæterum Zornii ſolitudinem Ludovici ſuam fore commoditatem rati, in turpiſſimi facinoris occaſionem arripiunt. Hoſpitem itaque clam accerſunt apud quem diverſabatur Cæſar, fidemque ejus multis oneratam promiſſis ad flagitioſam proditionem ſollicitant. Oſtendunt non in arduo facinus eſſe. Alio aditu quam quem cuſtodes obſederant, poſſe intromitti armatos, qui priuſquam provocare poſſet ad auxilium inermem conficerent. Exhorruit ille ad ſceleris attocitatem. negabatque ſe commiſſurum ut hoſpitalis menſa qualiſcumque principis ſanguine cruentaretur, & ſi quis ad ejuſmodi flagitium prorupiſſet in triclinium, oppoſiturum ſe corpus ſuum pro corpore Ludovici, ut mucronem quo petendus ille eſſet, per pectus ſuum tranſigeret. Quoſlibet enim cruciatus leviores ducere, quam ſub proditoris infamia, ſeque & lares polluere tam abominando ſæculis parricidio. Inde domum celeriter rediens quid pararetur Ludovico aperit. Hortabaturque eum ad fugam. Nihil enim tutius eſſe, quam clandeſtino diſceſſu eludere inimicorum manus inſidias circumſpicientium. His auditis Cæſar expalluit ſtupore defixus, proceresque circumſtantes intuens, quaſi ſciſcitaturus quid agendum eſſet, ipſorum vocibus magis turbabatur urgentium metus. Compenſata igitur hoſpitis fide, protenus jubet frænari equos, omiſſoque tubæ ſono proripuit ſe extra mœnia.

Diceres fortunam ex compoſito illudere imperatorum capitibus. Eodem enim tempore Fredericus Auſtriacus haut leviore periculo conflictatus eſt. Comperta namque Ludovici expeditione in Alſatiam feſtinans, cum ad Leopoldum pervenire vellet, errore delatus eſt in caſtra Bavari. Adduxerat ſecum familiarium paucos. Et qui ad portarum cuſtodias diſpoſiti erant, nec ipſum noverant haut antea viſum, nec quis eſſet interrogaverant intrantem. Iamque altius penetraverat in munimenta, attonitus neminem eſſe in tanta multitudine qui expediret officia, aut ſolita veneratione tranſeuntem coleret. Suſpicatus itaque quod res erat, ſimulat ſe unum eſſe de militibus Ludovici, verſiſque habenis haut ægre elabitur inter confuſam exeuntium & intrantium turbam.

Poſtquam autem Ludovico relatum eſt, Fredericum eſſe in caſtris nihil ultra remorandum arbitratus præconem dimittit, qui diem pugnæ

æmu-

æmulo offerret, vel ab ipſo oblatum acciperet. Cui Fredericus & ipſe admodum certaminis avidus alacerque gaudio renunciare jubet, paratum ſe quamprimum confligere, ut vel hodiernus dies de regno ſtatuat & ſuam cuique fortunam aſſignet. Neque mora, educit in campum ſuos. Atque ut oſtenderet quanta fiducia ſperneret hoſtem, ſimul etiam celaturus ſuorum equitum paucitatem edici jubet per totum exercitum, ne quis equo militare vellet, aut capite pœnas daturum. Confeſtim itaque omnes deſiliunt in terram, ſpei pleni; detractiſque calcaribus contendunt in hoſtem; qui alacritate Auſtriacorum perſpecta, ſubito pavore correptus, ſpecie militaris obſequii trans Bruſcam flumen pedes referebat, certamen detrectans. Mox tamen Fredericus aderat paratus iterum ad prælium. Tunc nobilium illud equitum agmen aliquamdiu ſtetit in campo tremens. Sed acceſſu hoſtium creſcente formidine, non jam ſenſim ſicuti antea, at citato gradu refugiebat: multum frendente Ludovico, fruſtraque hortante ut impavide facerent periculum ſui. Inſtabant interim à tergo Auſtriaci, & cum æquare non poſſent equorum velocitatem, cavillando quærebant quo fugerent galeati lepores alienis pedibus. Si auderent, ſi viri eſſent, manus conferrent. Non jam ſe poſtulare, ut ex equis deſcenderent; ſed ut provocati belli diſcrimen exciperent. At torpentium aures occluſerat timor. Cumque effugiſſent hoſtium conſpectum, Ludovicus iratus & vix ſui potens increpavit atrociſſimis verbis juſſos ſubſiſtere. Quid, inquit, hoc rei eſt? Quæ furiæ mentem exagitant? Reſpicite ſaltem à tergo utrum milites vos ſequantur an agricolæ. Horreo ad tantum flagitium. Contracta eſt inexpiabilis ignominia. Toti nobilitati nota inuſta eſt. Quod quantumque illud dedecus, ſplendidiſſimos equites armis & numero præſtantiores ab inconditis agricolis pecorum modo in fugam agi? Quorum tandem vultum feretis, ſi ne horum quidem poteſtis ſuſtinere, quos domi dedignaremini aſpicere? quoſque modo ruſticos homines appellatos habuiſtis ludibrio? Ite in patriam gloriantes, egregium titulum reportate ab hoſtibus partum. Quid enim de vobis ſperandum eſt, quos ne convitia, ignavos etiam acuere ſolita, exſtimulant ad refutandam ferro contumeliam. Ego cum meis tutabor rempublicam, turpiſſimæque conſternationis oblitus, ignaviæ veſtræ ultionem expetam. In eum modum caſtigati pudore confuſi ſunt. Iam enim diſcuſſus pavor liberiori pœnitentiæ locum dederat. Orabant igitur ut fatali conſternationi ignoſceret, pollicentes ſe ad reliqua belli ſtrenuam operam navaturos. At Cæſar haut dubius ſuorum [illegible]ore auctum eſſe hoſtibus animum, remittit domum admonitos, ut re exigente præſtarent

rent promiſſa, ipſe vero proceſſit in Bavariam. Fredericus & Leopoldus hoſtium fugam impatienter ferebant. Arbitrabantur enim in eo ſitam victoriam ſuam, ſi aperto marte liceret confligere. Fremebant itaque ſemper à Bavaro extrahi ultimum diſcrimen, qui provinciarum vaſtationibus & incendiis nihil motus, nunc ad ludificandum impetum equeſtris prælii munimentis urbium includeret ſeſe, nunc concepta fuga pedites fruſtraretur. Mutandum eſſe genus belli, duoſque adornandos exercitus juſto numero equitum peditumque conſtantes, quorum alter ab oriente alter ab occidente infeſta ſigna Bavariæ inferret. Quod ſi reſtitiſſet Ludovicus conjunctis viribus imparem opprimerent: ſi pugnam detrectaret in mœnia refugiens, diviſos exercitus circumferrent per oppida, & à civibus vi aut obſidione deditionem exprimerent. Ita intra paucos menſes profligari poſſe bellum quod tot annis vexata æraria funditus exhauſiſſet.

An. MCCC XXII. His prudenter deſtinatis Fredericus in Auſtriam appulſus anxia diligentia ſtruebat exercitum, huc illuc dimittens legatos qui veteres amicos admonerent fœderis & facerent novos. Horum varia ſors fuit. Tres Antiſtites, Fredericus Archiepiſcopus Salisburgenſis, Theodoricus Laventinus Epiſcopus, & Albertus Epiſcopus Patavienſis, flagitanti ſpondebant auxilia promptius quam rogarentur. Sed Emicho Alſehe ad Henricum Carinthium deſtinatus repulſam ferebat. Quippe Carinthius poſt Bohæmi fœdus cauſam ſuam ab Auſtriacis disjunxerat, vires ſuas tunc lautiori ſpe & militia in Italia exercens, & quo minus in civile bellum revocaretur feſſus ſenex, & in unica filia acquieſcens obſtabat reverentia affinitatis. Indignatus Fredericus & nova conſilia moliens, Bohæmiam obtulit Henrico fratri cum titulo regis, atque ea ſpe ſuum fecit civilibus armis hactenus exemptum. Super omnia tamen fiduciam ejus erigebat Carolus Hungariæ rex; qui receptis in ſtipendium Scutio & Presburgo oppidis, ab Alberto Cæſare Hungaro ademptis, ingentia in bellum auxilia ſpoponderat. Miſſi denique ad Græcorum imperatorem legati pecuniam in ſubſidium petebant.

Ex alia quoque parte nihil curæ omittebat Bavarus, quo minus & ipſe veſtigaret ſubſidia, adverſus tam atroces fluctus, qui Bavariam ipſiuſque ſalutem inundaturi videbantur. Fredericus Norimbergæ Burggravius, Fredericus Marchio Badenſis cum Comite Hennebergio in partes ejus impigre tranſgreſſi ſunt. Acceſſere præterea Guilielmus Montorſii Comes, duo Comites Hohenloii totidemque Scuſſenburgii. Henricum Seniorem Ducem Inferioris Bavariæ, præter pacta cum Ludovico inita ſtimulabat præterea rex Bohæmiæ, cujus filiam Margaretam

tam ſibi deſponderat. Præcipua tamen vis in Bohæmo & Trevirenſi fuit; quos præter partium ſtudia Henricus Auſtriacus attentiores fecerat palam ſe ferens Bohæmiæ regem. Defuncto Petro Archiepiſcopo Moguntino nihil præſidii ſperabatur à ſucceſſore, qui civilibus diſcordiis exemptus Fredericum non oderat.

Non ſolutiori cura Leopoldus Auſtriacus in Alſatia agebat. Ad quem Fredericus miſerat nunciaturos de ſuarum virium apparatu, & ut protenus ad Lycum ſe conferret cum exercitu. Iam enim Hungariæ regis copiæ in Auſtriam pervenerant. Quinque equitum millia erant, totidemque peditum conflata, ex Hungaris, Walachis, Rathiis, Bulgaris, Serviis, Turcis, aliiſque Barbaris mercede conductis. Pars haſtis, pars jaculis utebantur, ex more gentis leviter armati. Præterea novendecim millia peditum ipſe confecerat, cataphractorum equitum duo millia & quingentos, quibus alii quingenti acceſſerant quos Henricus frater reduxerat ex Italia Pontifici in ſubſidium miſſos. His copiis ſperabat non tantum vinci poſſe Bavarum, ſed etiam obrui.

At vero Ioannes Bohæmiæ rex ubi Fredericum accepit moviſſe ex Auſtria, præmiſſam filiam ad ſponſum quanta poterat celeritate ſubſequitur, Bernardum Sileſiæ ducem trahens in partibus. Duo cataphractorum millia ſequebantur regem, longe major peditum turba. Plures equites frater ejus Archiepiſcopus eduxerat. Fere iidem erant quos ſuperiori expeditione fugiſſe diximus, nunc in bellum promptiſſimos demendæ ignominiæ cupido effecerat. Godofridus Chiniacenſis Comes præerat eis.

Fredericum in Stiriam venientem Admontenſis Abbas & neſcio quis mathematicorum Bartholomæus triſtibus deterrebant ominibus: hortantes ne pergeret ultra, certiſſimum aſtra portendere exitium, ſeque & exercitum perditum ire. Deterruiſſent alios auguria, quæ illum adeo non turbarunt quo minus alacer Salisburgum contenderet. Contemnebat enim talia ut vana, incerta, fallacia, & ignota mortalibus; purpuratis denique tumentem inflantibus, quaſi inventurus non eſſet ubi tantas vires poſſet exercere. Non laturos Bavaros nuncium belli. Ad primam adventus famam terga verſuros. Occurſura barbarorum nomina, ne commilitonibus quidem ſatis nota. Horum ſcilicet clamorem toleraturos, qui ne agricolarum quidem vultus ſuſtinuiſſent aſpicere? Hæc quidem magnifice jactabantur: at fata quod in occulto hactenus tenuerant aperire decreverant.

Bavarorum interim vulgus ſollicita exſpectatione ſuſpenſum, terrore marcebat; diffundente ſe rumore per provincias tantam advenire

Bar-

Barbarorum multitudinem ut ne nomina quidem gentium poſſent iniri. Nemo prope erat qui de Ludovico actum eſſe non conjiceret, trepidationem & fugam ſuorum toties experto. Conſternatos tamen animos erigebant duo monachi, ſoliti ex mathematicorum cælo futura conjicere. Quorum alter ab initio Ratisbonæ prædixerat, ad Ludovicum poſt multa diſcrimina inclinaturam victoriam; alter nunc Monachii aſſerebat, Fredericum ante III. Kalend. Octob. futurum in vinculis, & quidem tanta aſſeveratione & conſtantia, ut etiam pignora in ſponſionem offerret artis ſuæ vanitatem ridentibus, (ſi modo hæc ars ſit & non potius ludibrium ineptæ ſuperſtitionis vel præſtigiæ dæmonum longe ſagacius quam mortales conjicientium in futurarum rerum caligine.) Periculoſum id genus hominum quoties pernicioſa principibus denunciat: nunc cum fauſta cuncta & læta portenderet ſolatium & fiduciam ſubjiciebat conſternatis animis. Ludovicum denique & ipſum ab ejuſmodi ſuperſtitionibus hautquaquam intactum adeo in ſpem ſuſtulerant, ut certiſſimam victoriam cogitatione præciperet.

Fredericus haut procul Oeno flumine ſociorum antiſtitum copias excipiebat, cum Bohæmus Monachium appulit. Succedebat Dux Henricus cum totis viribus inferioris Bavariæ. Iis acceptis Ludovicus iter pronuntiari jubet obviaturus hoſti, priuſquam ille igne ferroque in finibus ſæviens altius penetraret in Bavariam. Forte etiam grave erat eximio cultu diutius excipere hoſpitem regem, in tanta ærarii inopia, ut vix duodecim libras Hallenſes poſſet ſufficere. Suadebat Bohæmus ut in iiſdem perſiſterent caſtris donec provinciales accederent ſociorumque turmæ. At Bavarus ſecurum eo nomine jubebat eſſe regem, referens haut procul ſtare in procinctu juſſos ſuccedere quo ea nocte placuiſſet defigere tentoria. Nec eum ſua fefellit opinio. Poſtera enim lux tantam multitudinem effudit in caſtra, ut vix lætitiam Bohæmus teneret, animo præcurrente victoriam. Motis igitur caſtris obviam Frederico procedunt, quem jam Oenum ſuperaſſe exploratores retulerant. Summam Bavarici exercitus referre non poſſum. Sed nec de Frederici viribus ſatis convenit inter antiquos. Sunt qui augeant, ſunt qui imminuant. Conſtat tamen juſtos utrimque fuiſſe exercitus,& propemodum pares. Seyfridus Schweppermannus ſolus deerat, manu ſtrenuus,ingens conſiliis, ducumque præſtantiſſimus ſuæ ætatis Norinberga oriundus. Hunc univerſis copiis Ludovicus præfecerat. Mox tamen ille ſuperveniens, magno gaudio à Cæſare excipitur, & ſenioribus quibus diuturna militia aſſueverat. Haut perinde juvenibus placebat, propter habitum corporis diſſentientem à fama. Plerumque enim ita com-

comparatum eſt,ut magnorum operum non alii capaces eſſe credantur, quam quos eminere ſpecie natura donavit. Eo auctore caſtra tranſlata ſunt ad Iſeniſcum amnem. Haut procul inde Fredericus ad Muldorfium oppidum aggeres munierat, inter Iſeniſcum Oenumque flumen juſſis Sagittariis prohibere hoſtem tranſitu amnis, donec Leopoldus cum ſuis accederet.

Cæterum Leopoldus vaſtatis agris Guilielmi Montforſii ad Lycum amnem tempus ocioſe extrahebat; nuncios opperiens, quos ad Fredericum miſerat ſciſcitaturos, quo ſe cum exercitu deberet recipere. At eos qui miſſi erant Furſtenfuldenſes monachi prætereuntes interceperant, ademptiſque equis paucos dies retinebant in vinculis.

Interim Bohæmus Ludovicum urgebat ad certamen. Cur enim diutius extraheret? Vniverſas copias adveniſſe. Neque exſpectandum donec Leopoldus propius accedens, vel conjungatur cum fratre, vel à tergo ſibi commeatum intercipiat. Moram hoſti utilem, ſibi pernicioſam eſſe. Militum impetum tædio frangi. Queri omnes de lentitudine. Non ſervaturos conſtantiam, ſi credantur ipſi duces aut deſperare de victoria aut de virtute militum diffidere. Craſtinum diem auſpicatiſſimum eſſe, divo Wenceſlao ſacrum patrono Bohæmiæ. Hunc ſibi deſtinatum prælio, & ſi videretur, militibus edicturum. Hæc ſententia magno cum aſſenſu excepta eſt. Iuſſis igitur militibus ire in ordines Ludovicus circuire cœpit iniquitatem amnis, repertoque vado in ulteriorem ripam evadit caſtra transferens in vicum quem incolæ Ampfen appellant. Ea fama cito ad Fredericum delata eſt, qui & ipſe ſuos pariter jubebat eſſe paratos in craſtinum: Theodorico de Pylichendorff equitum magiſtro, & Vlrico de Waldſehe multum ſuadentibus ne Leopoldo abſente diſcrimen faceret. Exſpectaret auxilia, ſatis cito victurum ſi providiſſet ne vinceretur. Hoſtium copias numero ſuis vix cedere: an parem virtutem allaturæ eſſent poſitum eſſe in manu fortunæ. Nullum ſine periculo prælium ſuſcipi, nec ſemper ad validiores inclinare victoriam. Non de gloria eſſe certamen: ſed de rerum ſumma & incolumitate ipſius, quam non deberet non neceſſario tempore temere in diſcrimen projicere. Contineret ſe in caſtris. Si urgerent hoſtes cederet retro, ac flumen Oenum pro vallo inſtantibus objiceret. Leopoldum haut dubie brevi adfuturum, quem conſtaret jam dudum ex Alſatia moviſſe. Mitteret interim monituros ut quanta poſſet celeritate accederet. Quod ſi deinde conſtaret venire non poſſe aliis forte periculis retentum, tunc rurſus deliberaturos, & ſi placeret prælium poſſe confligere. Haut dubie prudentiſſime ſuaſerant. At Frede-

ricus æger mora & ſpei impatiens, ſimul etiam ne retrocedendo præberet ſpeciem fugæ, rem in diſcrimen mitti volebat. Atque ut ardorem juvenum ad fortia acueret, edici jubet, ſi quis in equeſtrem ordinem recipi vellet, ſub veſperam ſe in prætorium conferret. Is honor olim inter proceres habebatur eximius, quem regum quoque principumque liberi exſpectare jubebantur in juſtam ætatem. Inſignia dignitatis erant auratus enſis, aurata calcaria, cum paludamento. Hunc enim cultum bonæ leges ſeu majorum mores in cæteris nobilibus plebeiſque proſcripſerant. Inde dicti aurati equites, quos Galli, Itali, Hiſpani eodem propemodum verbo à Caballis *Cavalleros* appellant. Germani autem & Belgæ *Ritteros* ſive *Ridderos* à *Ritten* vel *Rijden*, quod patrio idiomate equitare ſignificat. Equis enim in bello merebant crurum tenus cataphracti. Ornamenta ordinis in funebrem pompam prælata defunctos ad ſepulchrum comitabantur: quæ deinde ſuſpenſa ad proximum tumulo parietem, memoriam relinquebant extinctæ dignitatis. Paludamentum autem *Cottam armorum*, (*Cotte d'armes*) vulgus appellat; in quo gentilia inſignia ex omni latere eminebant ſuis coloribus diſtincta, ut cataphracti noſcitarentur in prælio, laudari & increpari poſſent, prout cujuſque facinora exigerent. Cæterum hanc dignitatem ſolus conferebat Imperator. Vices tamen ſuas interdum aliis mandare conſueverat, qui peragerent ſolemnitatem actus, ſubmiſſoſque in genua, atque evaginato enſe leviter verberatos in ordinem reciperent. Et forte tunc Fredericus ſive in honorem, ſive aliis occupationibus retentus eam curam dederat Archiepiſcopo Salisburgenſi, ut ſingulorum ſtirpe excuſſa ſolemnia tranſigeret. Equitum nomina in tabulas relata ſunt. Nicolaus atque Eckardus Than, Henricus Oder, Conrardus Thumshiren, Conrardus Oberdorffer, Orthulpus Moss, Henricus Pruninger, Vlrici duo Wiſpeckii, totidem Frederici Köpffelmannen, Henricus, Godefridus Sigwoldus Lampoltinger, Sigwoldus & Arbertus Noppinger, Henricus & Gebardus Trauner, Nicolaus Alben, Conrardus & Albertus Trenbeckii, Iacobus Spör, Artholphus Schönberger, Nicolaus & Conrardus Auſsäer, Marchardus & Rudolphus Vandorff, Ludovicus Welkirchen, Werenhardus & Ludovicus Truchſaſſen, Eckhardus Geyer, Ioannes Pfäffinger, Zacharias Panthir, Albertus Gebinger, Vlricus & duo Iacobi Turriani, Rugerus Radeck, Petrus Gangsperger, Vlricus Wens, Vlricus & Otto Achdorffii, Ioannes Eckher, Othomarus Viſler, Rapoldus Albrechtshamer, Luitpoldus Panichenſtain, Taganus Tegborn, Otto Boibentz, Fredericus Kalſperger, Fredericus Wolffsaw, Otto Steyr, Rudolphus Helenecker, Luitpoldus

Frey,

Frey, Hardneidus Manſperger, Orthulphus Dietmarus, Nicolaus Püchſer, Fredericus de Lobnigk, Hardneidus Scheſperger, Fredericus Schrätenberg, Iacobus Hohenſtein, Ludovicus Belkirch, Ioannes Neydeck, Albertus Dachenaw, Hermannus Muendorff, Ludovicus Ror, Henricus Silbelberger, Vlricus & Wittichus Berger, Conrardus Stataver, Wullffingerus Flachſperger, Conrardus Steg, Conrardus Sachſen, Vlricus Hofer, Fredericus Reichenburger, Vlricus Langaw, Hermannus Lenberg, Henricus Laim, Luitpoldus Twarffer, Conrardus Pettendorff, Wolfangus Thor, Godefridus Keltz, Henricus Mäſſenberger, Vlricus Nuſdorffer, Ioannes Hanſperger, Petrus Sultzberger, Nicolaus Reinhold, Henricus Oxel, Vlricus Geldman, Wolffhardus Aldenburger, Adelramus Strälenfelſer, Eckhardus, & Wolfhardus Offenſteter.

Dum hæc apud Auſtriacum aguntur, Schweppermannus interim prudentiori conſilio obequitabat campum, qui inter Sationes utriuſq; exercitus ſpacioſa planitie ſe diffuderat; exploraturus hoſtium caſtra, locique ingenium ad pugnam deſtinati, an nec ſuas, nec hoſtium inſidias pateretur occulere. Cumque ea quæ vidiſſet, ſicut erat in equo, referret ad conſilium militare, notatus eſt ab his qui haut procul inde ſtabant, toto trepidare corpore, ita ut & calcaria trementibus pedibus ſtrepitum emitterent. Turbavit ea res militum animos, inter ſe muſſantium, quomodo ſuis fortitudinem ſufficeret in prælio, cui ante prælium vires animuſque exciderent? cervum ducem adveniſſe Leonem exſpectantibus. Sed hic pavor non ſemper recedit à fortitudine, pleriſque egregiis ducibus inſitus, dum obverſante periculi imagine, non tam animo verſant quid ſperandum ſit de ſucceſſu, quam quæ poſſint officere: in ipſo deinde articulo diſcriminis collectis ſpiritibus compotes ſui, in locum ſecedentis timiditatis robuſtam virtutem recipiunt.

Prima luce peracto ſacrificio, milites vallum exire jubentur. Totus campus ſplendebat viris & vexillis. Cohortes huc illuc commeabant in ordinem euntes ex tribunorum imperio. Præcipue autem ducum cura eminebat interequitantium acies, & quid opus factu ſedulo monentium, nunc ſingulos nunc univerſos inſtigabant ad capeſcendum fortiter prælium. Frederici acies hoc modo ſtetit. In dextro cornu Vlricus & Henricus de Waldſehe Hungaris Barbariſque præerant. Antecedebant eos delecti ex toto agmine ſagittarii, quibus imperatum erat ut pugnam inciperent. Lævum cornu regebat Henricus Auſtriacus. Hic Auſtrii, & Stirii locati erant, ſociorumque auxilia. Theodoricus de Pilychendorff equitum magiſter iiſdem acceſſerat, ere-

ctum manu tenens prætorium vexillum, quod niſi præſtantiſſimo credi conſueverat.

At vero in Bavarica acie Ioannes Bohæmiæ rex lævum cornu tutandum accepit. Hunc enim honorem potiſſimum ſibi deferri voluerat, cum Barbaris ciere prælium. Poſt illum ſtabat in ſubſidiis Henricus dux inferioris Bavariæ cum manu ſua. Huic ſe applicuerat Conrardus Baybrunnus, optimus bello ut militari peritia ad ea ſufficeret, quæ experientia necdum Henrico detulerat. In dextro latere Albertus Rindmaulius Bavaris præerat. Poſt hunc Hennebergius Chiniacenſis, Badenſius & Montorſius & Hohenloii & Scuſſenbergii ſuis quiſq; agminibus præfecti. Burgravio Norinbergenſi Schweppermannus præceperat ut ante lucem ſecederet trans Iſeniſcum amnem, cum quadringentis equitibus. His Auſtriaca vexilla dederat, juſſis ſubſiſtere in inſidiis, donec erumpendi ſignum acciperent. Vterque princeps in medio agmine, delecto ſuorum robore ſtipabatur. Fredericus ad omne periculum audax de ſolito cultu militari nihil detraxerat; paludamento conſpicuus, quod per aſſurgentes imagines Auſtriacæ gentis inſignia exprimebat. Ludovicus vero omiſſis familiæ inſignibus cæruleum paludamentum armis ſuperinduerat, albis decuſſatum crucibus, ignoti equitis habitum præferens: ne ſi agnoſceretur in unum omnes tela conjicerent.

Cum intra teli jactum perventum eſſet, barbari ingenti ſagittarum procella occurrentes ſibi Bohæmos excipiunt. Ioannes rex improviſo turbatus malo, procurrere ſuos jubet, ſpatiumque ad excutienda tela ſagittariis adimere. Iuncta igitur agmina erant: emicabant tamen undique Barbarorum tela. Bohæmi eminus ſtantes jaculorum grandine obruebantur cominus vero præcipitabantur in terram. Quoniam barbari omiſſis vectoribus, juſſi erant conſerta tela in jumenta dirigere. Iamque & regis equus confoſſus ruebat, cum ille ſtrenue in alium ſublatus, caſtigare territos, adhortari torpentes ut languentem pugnam fortiter reſtituerent. Turbata erat peditum acies; in quam Barbari multa cæde invecti, quingentos Bohæmos in deditionem accipiunt. Reliqua multitudo in collem effuſa eſt, jubente rege ut illuc potiſſimum fugam intenderet unde ſcandentes Barbaros ſubmovere poſſet loci beneficio adjuta. Nec defuerunt quos in proxima oppida pavor abſtulit de ſucceſſu prælii triſtia nunciantes. Quidam ad Schweppermannum decurrebant juſſu regis flagitantis ſubſidium. Is cum Henrici Bavari copiis propere accurrens; converſum in ſe hoſtem tantiſper ſuſtinuit donec Bohæmi redintegratis ordinibus in certamen reverterentur.

rentur. Tunc vero cataphractos ex equis deſcendere juſſos, ante peditum agmen conſtituit ne inutiles redderentur occiſis jumentis: denique ut armato corpore vibrata jacula ſine noxa exciperent. Huic vero commento & aliam ſolertiam adhibuit dux callidiſſimus ſecutus Hannibalem, arteſque Cannarum. Serenum enim ac ventoſum nactus diem ita ſuam obvertit aciem ut pulveris nubes, quam excitabat tot equitum peditumque diſcurſus in hoſtium ora ferretur, denique ſol fulgentiſſimis radiis eorum oculos perſtringeret. Redintegratur igitur fortiter prælium. Bavari viribus integri feſſos urgebant. Bohæmi fugæ dedecus reparare nitebantur. Inutilis erat Barbaris ſagittarum uſus, quo ſolo præſtabant. Adempto enim proſpectu jacula temere excuſſa volabant innoxia per aërem vel abſque vulnere ab armatis redeuntia fracto impetu in terram decidebant. Schweppermannus quacumque rem perplexam aſpexerat, non ducis magis quam militis fungebatur officio, pavoris oblitus quem pridie conceperat. Iam & Burggravius Norinbergenſis ex inſidiis proſilire juſſus eminus ſe oſtendebat Auſtriacis. Miſſi qui recognoſcerent, Leopoldum Auſtriacum adeſſe referebant ſignorum fraude decepti. Perſonabat ergo lætitia Auſtriacorum acies, ingentique alacritate & fiducia remiſſam ad pugnam duces accendebant. Sed gaudium illud brevi mutatum eſt: utique poſtquam Burggravius in terga hoſtium ferociter invectus, late ſtragem facere cœpit. Iamque is in ſe quoque diſtraxerat partem belli, cum in medio hoſtium agmine tumultus oritur. Quippe Bohæmorum captivi illic à Barbaris in cuſtodia retenti mutua adhortatione, quæ quiſque potuit, tela corripiunt & averſum à ſe hoſtem clamore & cædibus in fugam conjiciunt. Diſſipabantur temere Barbari huc illuc, abjectis armis & ſignis, & qua ſpes aut pavor compulerat ad ſalutem quærebant remedium. Tam felici ſucceſſu Schweppermannus exultans, partem ſuorum perſequi fugientes jubet, ne qua in ordines collecti reſumerent bellum, partem in aliam aciem transfert dubio adhuc marte pugnantem.

Quippe longe alia ibi utriuſque partis fortuna fuit. Nunc Bavari pellebant Auſtriacos, nunc irruentibus terga vertebant. Multi utrimque labebantur. Plures occiſis jumentis referebant ex prelio pedem. Nec tamen laxabantur acies inter ſe furioſe implicitæ, nec pugnantium rabies ſe remittebat. Fredericus ad omnia intrepidus, hic pavidis ſuggerebat fortitudinem, illic ſtrenue collapſa reſtituebat; ut interdum ducis oblitus in vulgaria ſe pericula dimitteret. Et ſane nihil illi ad fortunam, quam fortuna ipſa defuit. Non minori audacia Ludovicus ferebatur,

hoſti ignotus & inde tutior: attamen niſi vinceret certus occumbere: Frederico per ſuos identidem inclamante, ut in unum ſpicula, haſtas, tela, ipſa denique ſigna dirigerent. At ille ſuppreſſa majeſtate fallebat quærentes. Nec dubitabatur quin nuſquam cognitus cecidiſſet in acie. Idem quoque Fredericus audebat credere, multum admiratus tam pervicaciter hoſtes reſiſtere amiſſo imperatore.

Inter hæc Schweppermannus ſuis laturus opem tergis hoſtium circumfunditur, & in laxatos ordines magna cæde invectus fluctuantem aciem perturbat. Henricus Auſtriacus ancipiti circumventus malo, & fortuna partium territus properabat mortem captivitate redimere. Sed Theodoricus Pillichendorffius prætorium vexillum in confeſſionem victoriæ ſubmittere erubeſcebat. Rapto igitur de manibus ejus furioſe ſigno tradidit ſe victori, nec quemquam poſtea capi puduit.

At non Fredericus tam ignave agebat, fortunam ad ultimum fatigans. Suggerente enim conſcientia idem ſibi ſubeundum eſſe quod ipſe de Ludovico decreverat, honeſta morte vitare cupiebat dedecus ſupplicii. Multi terrore perculſi deditionem fecerant: perſtabant tamen lectiſſimi procerum ſuperſtites eſſe Frederico erubeſcentium, tuebanturque pugnantem immemores ſui. Sed tantam procellam pauci ſuſtinere non poterant. Eminebat Fredericus notiſſimis armis, deditionemque flagitantibus pervicaciter abnuebat ſe vivum in poteſtatem. Ergo ingens vis telorum ingerebatur & pugnanti & tuentibus eum. Alii ante pedes ipſius ſternebantur, alii ex equis dejecti in terram decidebant. Iam & jumentum Frederici haſta transfixum, per ſolum ſe diffuderat: nihilominus tamen ille tentabat adhuc prælium in pedes receptus. Cæterum Bavari undique ingruentes, avidas manus certatim injiciunt deſtituto à ſuis. Iamque abducendus erat ſequi paratus, cum inter victores orta contentio eſt de captivo, quis eum deduceret ſiſteretque Imperatori. Sine dubio is honor illi debebatur, cujus iſte poteſtati ſe permiſerat. Sed opimum decus multi ad ſe trahebant. Rogatus Fredericus litem dirimere, à capite bubilo ſe captum dixit. Illud autem erat Alberti Rindmaulii gentilitium inſigne in paludamento enitens. Statim igitur huic cedentibus cæteris gloria delata eſt. Tota fere die prælatum fuit nec ſtrages reſpondit magnitudini victoriæ. Sunt qui mille & centum utrimque cæſos, ſunt qui plures numerent. Conſtat tamen captos eſſe ex Auſtriacis mille quingentos ſanguine illuſtres & inter eos Decem Waldeſehæ gentis: occiſa feruntur tria jumentorum millia.

Ludovicus autem quanta felicitate victoriam pepererat tanta quo-

que

que moderatione exercuit. Exacti enim periculi ſollicitudine in lætitiam verſa, redibat ad mores ſuos, & quid de captivis ſtatuendum eſſet ſecum exigens, clementiam advocabat in conſilium. Iam enim referebantur adeſſe qui Fredericum & Henricum Auſtriacos ad ſe perducerent. Arrecta erat circumſtantium turba, quo nutu admitteret venientes, an cohiberet iram an proderet: cum ille præter omnium opinionem blando vultu Fredericum intuens, Cognate, inquit, gratus & expetitus veniſti, hic te libenter conſpicio: ac ne metu mortis diutius tenearis, ultro tibi vitam indulgeo. At ille dimiſſo in terram vultu continuit vocem, fortuna attonitus in quam reciderat. Captivis igitur in cuſtodiam traditis Cæſar curaturus corpus, præcipuos ſuorum cœnæ adhibuit. Referentibus œconomis, præter ova, quæ appoſuerant admodum pauca, nihil præterea adeſſe obſonii, ſingulis convivis ovum unum, Schweppermanno duo diſtribui juſſit, ſubjiciens induſtria ejus factum, quod in ſuis hodie cœnarent caſtris. Id ſane magno honori Schweppermanno fuit, & longa poſterorum memoria decantatum.

Eadem nocte Ludovicum moturum caſtra quidam deterrebant; referentes eſſe nefas ante triduum campo excedere, quem vincendo obtinuerant. Sed neceſſitas fuit ante ſuperſtitionem. Feſtinantes enim nuncii attulerant, Leopoldum Auſtriacum cum duobus equitum millibus propius accedere. Magnum profecto fuiſſet periculum ſi vir ille ſe conjunxiſſet cum fratre, ſed fata Ludovico propitia præcipitaverant Fredericum in ruinam. Nec minus à Leopoldo peccatum eſſe plerique cenſebant. Nam cum ſub privata veſte oportuiſſet exploratores mittere per diverſiſſima viarum, maluit negotium committere ſuſpectis; qui & ipſi non ſatis callidi & militariter exculti, conjecturam fallere non potuerunt ad ejuſmodi facinora excubantium. Tanta vero opportunitate neglecta, non debuiſſet tamen otioſa dilatione tempora belli hoſtibus prodere: utique certus, nobilitatem Bavaricam receſſiſſe procul in expeditionem.

At ille ſive vereretur inſidias, ſive quid aliud obſtaret conſiliis, victo demum Frederico Monachium verſus iter inſtituit. Fürſtenfeldium perveniens, quid de exploratoribus actum eſſet, cognoſcit. Itaque in iram verſus, Volemarum abbatem protenus corripi fuſtibuſque caſtigari jubet. Hi, quibus imperatum erat vinctum præſulem ter nudatum ter virgis cæſum, rurſus verberare ſtatuerant, & per cruciatum occidere. At ſævitiam eorum interpellavit rumor, commodum per tentoria gliſcens, male pugnatum eſſe in Amphenſibus campis, Fredericum denique cohiberi in vinculis. Necdum conſtabant vera eſſe, quæ incerti

auctores diſtulerant: milites tamen tormenta remittebant, terrore correpti ne ſceleris atrocitas inquiſitione facta ſuis aliquando expiaretur capitibus. Poſtera luce certiora omnia Monachio retulere, qui miſſi erant ut inquirerent. Ergo ingens luctus & ſollicitudo implebat caſtra. Conſternatæ erant militum mentes, audacia & conſtantia perculſis exciderat. Ante omnes furebat Leopoldus ira & dolore amens; nunc Monachos devovebat maledictis, tormenta, cædes, incendia minabatur auſis conſilio ſuo remoram injicere. Nunc inter profundiſſimos gemitus elato altius pede percutiens terram, ſecumque litigans, quaſi à circumſtantibus exigebat; Ergo nullas à me litteras accepit? neſcivit eſſe in procinctu? Quæ dementia occupavit ejus animum, quæ furiæ impulere inſanientem ut diſcrimen prælii tentaret ſolus? Niſi eſſet temerarius tantiſper diſtuliſſet congredi, donec ego conjunctis caſtris, aut certam illi aſſererem victoriam, aut intercedentibus fatis eadem me ruina obruerem. Subeundum nunc eſt dedecus fuga. Inſtat hoſtis victoria ſuperbus. Niſi raptim hinc abceſſero, perterritum exercitum meum pari ſtrage violentus conficiet. Inter hos animi tumultus ſignum receptui canere juſſit. Monaſterio egrediens magiſtro equitum mandat ut tectis ignem ſubjiceret. At ille intra ſe abominatus infame ſacrilegium, eluſo vel contempto imperio ædificiis pepercit. Necdum enim ſic ſe depreſſerat religionis reverentia in Chriſtianorum militum animis, ut in templa & aras tantam iræ licentiam permitteret. Fugæ ſimilis reditus erat. Diſſoluti ordines, deſerta ſigna, feſtinantium tumultus victi exercitus ſpeciem præbebant.

Ludovicus hoſtium conſternatione comperta, fugientibus non inſtitit; ſatis gnarus Leopoldum ſumptu, mœrore & fraterna ſollicitudine confectum nihil amplius auſurum in ſeſe, quem jam fortuna abſolverat. Dimiſſurus igitur peregrinum militem, de ſumptibus belli cum Bohæmo tranſegit, ut decem millia marcarum argenti refunderet ei, & donec ea pecunia repræſentaretur, Ægra, Aldenburgum, Witzwovium & Ciza imperii oppida pignori eſſent. Dona quoque ducibus data ſunt qui peregrinum militem adduxerant. Hennebergium comitem principis imperii dignitate percoluit. Marchio Badenſis vectigal accepit. Godefrido Chiniſcenſi comiti permiſſum intra fines imperii arcem condere. Captivi inter cæteros diſtributi. Bohæmus Henricum Auſtriacum, Fredericum Ludovicus ſervandum accepit.

Ioannes rex præmiſſis domum militibus Landshutum divertit cum gene-

genero ſuo Henrico duce inferioris Bavariæ, qui hac in urbe Regiam fixerat. Ludovicus nullo genere humanitatis defuturus, comitabatur regem, cum purpuratis eximio cultus ſplendore nitentibus. Ipſe pretioſiſſima indutus, equo vehebatur forma conſpicuo, cum iis phaleris & ornamentis quibus ad pompam ſolebat. Nihil enim ad magnificentiam placuerat omitti, qua impenſius coleret regem cujus beneficio aſſertus in regnum fuerat. Cumq; perventum eſſet in locum cui Vallis Viridis nomen eſt, equus ſubito caſu prolapſus cujus cauſa ignorabatur Imperatorem in terram afflixit. Proximos qui ad ſublevandum eum ſubito deſcenderant, horror invaſit; utique poſtquam viderunt impotem vocis & animi. Concitabant ergo clamore & verberibus equum procumbentem. Sed par ſtupor jumentum defixerat. Omnibus manifeſtum videbatur prodigium. Quid tamen portenderet nec ſatis ſcire, nec varia conjectura aſſequi poterant. Nemo fere erat qui non auguraretur triſtia denunciari. Sed Percivaldus Sporneckerus ſtabuli præfectus, ad longe diverſa & veriora præſagia omen referebat, deſignatam eſſe aream dicens, in qua beata Virgo exigeret ædem, in ſtipendium victoriæ, quam ipſa propitiaſſet. Hæc vox mirabili aſſenſu audita eſt. Vix nuncupata erant vota, cum & Cæſar vigorem recepit & equus ſua ſponte in pedes erigitur. Stupebant igitur vehementius proceres ad prodigioſi auxilii novitatem. Collectoque ſpiritu manabant aliis gaudio lachrimæ, alii junctas exporrectis digitis manus tollebant in cælum, gratias agentes numinibus, quod beneficia ſua pulcherrimo miraculo teſtata voluerant. Cæſar & ipſe attonitus eodem protenus loco juſſit ædem conſtrui: in qua deinde dedicavit equum, in eo cultus habitu quo fuerat cum laberetur. Hinc ædes Sattleria dicta eſt, ab ephippio, quod pulchritudine & pretio reliquum omnem ornatum vincebat.

Landshuto Cæſar Monachium rediens, cum in Donſpergenſi Caſtello Fredericum parum tutum crederet, in Nortgoiam transferri curat; juſſo Wigando regionis præfecto in Trauſnittia arce captivum diligenti ſervare cuſtodia. Fredericus audito arcis nomine in quam deducebatur, Verus, inquit, vates fuit, qui fatale nomen loco impoſuit. Nunquam enim fore credideram, ut opulentiſſimum me Germaniæ principem in has fortuna detruderet anguſtias. Trauſnits enim vernaculo ſermone, ne fidas, ſignificat. Henricus Auſtriacus à Bohæmo abductus in Burgiliniam arcem condi jubetur. At hic ſqualloris carceris impatiens, poſt alterum menſem de redemptionis pretio agere cœpit, quaſlibet conditiones accepturus modo

libertati redderetur. Tranſactione igitur facta, dataque fide domum remittitur. Sed pacta conventa ſervare non poterat. Quippe oppida quæ traditurum ſe promiſerat Regi, pro parte ſpectabant ad fratres. Neque his perſuadere poterat ut à jure ſuo recederent. Itaque ſpe ſua fruſtratus rurſus ſe captivitati reſtituit.

NICO-

# NICOLAI BVRGVNDI
# HISTORIA BAVARICA,
## ſive
## LVDOVICVS IV. IMPERATOR.

### LIBER SECVNDVS.

PRofligato in hunc modum bello, videbantur omnia Ludovico ex voto procedere. Capto enim æmulo haut dubie jam liber dominus vix gratulationibus ſufficiebat, quas ex omni parte adulantium ambitio & geſtientium officia in aulam compulerant. Fracti erant illorum animi qui à Frederico ſteterant. Civitates Imperiales ſibi relictas timor ad pœnitentiam cogebat. Si quæ metu aut præſidio Auſtriacorum cohibebantur in occaſionem differebant defectionis conſilia. Solus Leopoldus Auſtriacarum partium dux ſupererat, implacidus animo, auſuruſque bellum, quo afflictas partes tentaret erigere: ſed in tam cruda fortunæ imagine exaſperare timebat iram victoris, ne fratri implacabilem relinqueret.

Medio tempore Waldemarus Brandeburgenſis Elector è medio conceſſit. Heredem ipſe non ſuſtulerat, & nemo in familia reliquus qui in fortunam ejus jure ſuccederet. Manente civili bello Ludovicus infra curam habuit tam prolixum Numinis beneficium; quod Rudolphus Saxo ad ſuos trahebat liberos, Iutta genitos Ottonis Brandeburgici filia. At vero Cæſar Frederico capto, ſplendidiſſimam provinciam cum Septemviratu, ad Imperium rediiſſe certus, & in fortunam ſuam recipiens, filio Ludovico in comitiis Norinbergenſibus contulit. Primores gentis in contraria ſtudia diducti erant. Alii cum Saxone, alii cum Ludovico conſentientes, multitudinem quoque in partes diſtraxerant, & in mutuum ſanguinem gladii acuebantur. Cæterum Saxo, intricatum ſe videns longo & difficili bello, cum Cæſare in gratiam rediit, ceſſitque provincia, cujus adhuc erat incerta poſſeſſio. Itaque Ludovicus Cæſaris filius (qui Brandeburgenſis poſtea dictus eſt) compoſitis in provincia rebus, Margaretam uxorem duxit Chriſtophori filiam Da- *An. MCCCXXIII.*

niæ regis. Cæſar quoque ad ſecundas nuptias reſpiciens, Margaretam Guilielmi Hollandiæ Comitis filiam matrimonio ſibi adjungere conſtituit.

His præſidiis, his affinitatibus auctus, Bohæmiæ regem audebat deſpicere, à quo jam diſſentire cœperat: potiſſimum offenſus, quod inconſulto ſe dimiſſus eſſet Henricus Auſtriacus in libertatem. Bohæmus enim Hungariæ regis precibus motus, poſt ſextum à priore transactione menſem, nova pacta cum Henrico percuſſerat; ut decem marcarum argenti millia acciperet. Znoiima redderetur ei: juri ſuo renunciarent Auſtriaci quod hactenus ad Bohæmiam obtenderant. Ante omnia Ludovicum accenderat, in fœdere ſe præteritum eſſe; regemque ajebat communi victoria abuti ad quæſtum, ſibi vero bellum relinquere. Nec querelarum materia Bohæmo deerat. Forte enim Fredericus Turingiæ Landtgravius & Marchio Miſnenſis, repudiata Guta Bohæmi filia, Cæſaris natam, Machtildem nomine, in matrimonium acceperat. Hæc injuria tanquam Bavari conſilio illata, non minus ulcerabat animum regis, quam Henrici redemptio Ludovicum pupugerat. Et quanquam in mutuis offenſis maneret concordia; diſſolutum tamen erat amicitiæ vinculum, quod ſanctiore nexu bellum aſtrinxerat. Sed infirma eſt Principum ſocietas quæ alieno tantum metu coaluit: parta enim ſecuritate fere in odium deſinit.

Cæterum in tam proſpero rerum ſucceſſu, fortuna necdum à Ludovico removerat vultum. Quippe per Italiam Galliamque ſparſa felicitas, multorum ibi animos concuſſit. Roberto Neapolitanorum regi potentior videbatur quam expediret ſibi atque Italiæ. Gallo cœperat eſſe ſuſpectus. Sed nec Ioanni Vigeſimo-ſecundo Pontifici Maximo tam ſecunda placebant auſpicia; qui digladiantibus in Germania æmulis, in eo totus fuerat, ut ſuis partibus Inſubriam aſſereret, unde & Germanicis exercitibus præcluderet tranſitum in Italiam, Romanumque populum, & ſi qui præterea cornua efferrent, deſtitutos auxilio ad obedientiam redigeret. Nunc vero mœſtus, & anxius, formidare cœperat ne conſilium deſtitueretur eventu, prævaleſcenteſque in Italia Gibellini omnem ejus auctoritatem deſtruerent. Hinc Ludovico ſtatim exorta eſt nova tempeſtas, quæ tota vita exercuit immerentem, Pontificiiſque procellis conſtantiam ejus ad inimicorum ſatietatem expoſuit. Sed ut tantorum motuum ratio innoteſcat, repetendæ ſunt res medio tempore in Italia geſtæ, quas ſi ſuis annis reddere voluiſſem interrumpenda fuerant Germanica bella.

Italia in duas factiones, Guelfos & Gibellinos lacerata, defuncto Hen-

Henrico Septimo vetera odia retractare cœperat. Imperatorum auſpicia Gibellini ſequebantur: Pontificia ſigna Guelfi præferebant, reſumendæ potentiæ avidi, unde paullo ante exciderant. Guelforum omnium pervicaciſſimi Florentini, excuſſum pridem imperii jugum vertebant in libertatem. Piſanos in ſocietatem acceperant. Tota propemodum cum his ſentiebat Etruria, inſtigante maxime Neapolitano rege; qui ab Henrico Septimo proſcriptus, dein infamatus attuliſſe illi cauſam necis, ſucceſſoriſque ultionem metuens, miſcere cuncta, ac privata flagitia malis publicis operire nitebatur. Brixia, Patavium, Tarviſium, & pleræque aliæ Inſubriæ urbes Guelphorum partes amplectebantur. Plurium animi ad defectionem ſpectabant. Ex alia parte Caſtrucius Lucæ, Mansfredus Landæ, Reinaldus Placentiæ, Bonacaſſa Paſſerinus Mantuæ, in Etruria Hugucio Facciolus, Canis Scaliger Veronæ, ſpecie tuendarum Gibellinarum partium, re ipſa dominationem aucupabantur, commiſſa ſibi gubernacula obſequii imagine verſuri in hereditatem. Henricus Goriciæ Comes poſt fata Henrici Septimi in Italia relictus, gerebat ſe pro vicario Imperii. Sed fluxa erat ejus auctoritas. Nam & juſtus illi exercitus, & quantulocumque militi ſtipendia deerant. Potiſſima vis in Matthæo Vicecomite, qui ab Henrico Cæſare Mediolanenſibus impoſitus, dein luctatus cum fortuna, Turrianos tandem potentiæ æmulos in ordinem coëgerat. Erant illi præter Stephanum adhuc impuberem quatuor adulti liberi, Galeacius, Lucinus, Marcus & Ioannes, inſignes ingenio, paciſque & belli artibus clariſſimi, Mediolanum, Papiam, Cremonam, Bergomum, Vercellas, Dortonam & Alexandriam habebat in poteſtate, ſoloque Principis nomine abſtinens, de poteſtate nihil detrahebat. Nullum adhuc publicum bellum inter factioſos: tumultus tamen non deerant. Conrardus Auria adjunctis Spinolis, Genuenſes exules in Guelphorum perniciem domum reducebat, Hugucio Facciolus laceſſebat Piſanos. Ferrarienſes ejectis præſidiis Roberti regis, Reinaldo Ateſtino ſummam detulerant. Canis Scaliger Patavium obſidebat, ut factionis ſuæ exules reſtitueret à Carrariis pulſos. Sed tantæ urbi viribus impar Goricium comitem mercede conduxerat; qui in ærarii egeſtate, nunc his nunc illis venalem locans fortitudinem, & ſemper propitior plus offerentibus, inopem pacem ferre non poterat. Cæterum Germanicus exercitus peſtilentia vexatus, Scaligerique avaritiam deteſtans, obſidionem deſtituit, propemodum ſpectantem ad effectum.

In hoc ſtatu res erant cum Ioannes Vegeſimus-ſecundus ſublatus eſt ad faſtigium Eccleſiæ. Is protenus aſſerere cœpit, imperio vacante ad-

adminiſtrationem Italiæ ſibi deberi. Mandavit itaque rectoribus civitatum, ut abdicarent ſe magiſtratu, quem fas non eſſet injuſſu ſuo quempiam gerere. Bertrandum de Pogieto nepotem, in Inſubriam legatum mittit, Bononiæ reſidere juſſum. Cardinalem Portuenſem vulgo appellant. Robertum Neapolitanum regem, Vicarium imperii à Clemente dictum, in poteſtate retinuit; propoſito edicto ne quis Cæſareo Vicario fidem aut obedientiam præſtare vellet: qui aliter feciſſet eum ſe pro hoſte habiturum. Sed tam cruda imperia vario animorum motu excipiebantur. Gibellini in contemptum vertebant. Florentini audito adminiſtratoris nomine, pulſabantur hac novitate, in ſuſpicionem delapſi Pontificem Ioannem ingenio ſolertem atque immatura ambitione cœcum, in eas ſpes incumbere quibus Eccleſiæ jugum Italiæ imponeretur. Suſpenſi denique erant cæterorum Guelforum animi, quaſi fides eorum mereretur timeri. Cæterum interventus Cardinalis Portuenſis & metum omnem timentibus ademit, & ſuſpicionum veſtigia ſuſtulit. Ipſe interim jacentes in Italia Guelfos hortari non deſinebat, erigerent animos, Gibelliniſque dejectis gubernacula urbium ad ſe transferrent. Et quidem Genuenſes Auriis ac Spinolis oppido pulſis, Pontificia vexilla attollere cœperunt. E contra Turriani eadem Mediolani tentantes, à Vicecomitibus in exilium aguntur. Hinc fracti cæterorum animi. Gibellini criſtas altius tollere, inter ſe coire fœderibus, armari in Genuenſes, quorum exules, ut armata manu in patriam reducerentur, inſtare precibus non deſtiterunt. Miſſus igitur Marcus Vicecomes cum exercitu urbem obſidione cinxit. Cognito eorum diſcrimine Pontifex, jubebat Vicecomites ab obſidione recedere. At minæ ejus in ludibrium venerant. Deſtitutus enim viribus, nihil præter cenſuras, tonitrua, & fulmina promittebat in obſidione perſeverantibus. Admonuit tamen Neapolitanum regem obſeſſis auxilio adeſſe, interque illum & Fredericum Siciliæ regem annorum aliquot inducias compoſuit. Itaque Robertus rex domeſtici belli metu vacuus, ad liberandam Genuam curas intendit. Iamque adornaverat claſſem quindecim navium in anchoris ſtantem, donec aliæ decem quas Pontifex armabat à littore ſolverentur. Quibus in altum ſublatis præmiſſa Genuam auxilia ſubſequitur, labenteſque civium animos præſentia ſuæ majeſtatis erexit, & ad toleranda obſidionis incommoda alacriores fecit.

Interea Tarviſiani, dein & Patavini à Cane Scaligero rurſus vexati, miſſis in Germaniam legatis, ſuas urbes Frederico Auſtriaco dedebant; qui fortunæ ſucceſſu lætus, delegat in Italiam Henricum Carinthium

thium cum Vlrico Waldeſeio Stiriæ præfecto, ut de tota lite deciderent. Præterea Goricio Comiti mandavit, quam celerrime eximeret diſcrimini captivitatis in ſuam clientelam acceptos. Sed invalidus erat ad vim Goriçius, nec ſatis proſpere ceſſerant inſidiæ, quas in caput Scaligeri ſtruxerat. Brevi tamen cum legatis Henrici Carinthii Waldeſejus ſuperveniens, ægre ad inducias deduxit, iterum in bellum redituros. Quippe Scaliger implacidus animo, & necdum ſaginata potentia tantarum urbium faſtigio inhians pacem omnem quæ ſpes illas recideret, detrectabat accipere. Sed leviora fuere certamina inter illos.

Tota Italia in Genuenſium ſucceſſum intenta erat. Pontifex huc illuc verſabat anxium animum, unde potiſſimum accerſenda eſſent auxilia, quibus inde averteret Gibellinos; in quorum ſubſidium Fredericus Siculus cum claſſe appulſus, maris uſum obſeſſis propemodum ademerat. Philippus Caroli Valeſii comitis filius, Pontificis impulſu ad obſidendum Mediolanum à Gallo miſſus, Novariam inter Vercellaſque ſubſtitit. Vbi Vicecomites cum exercitu prohibitum tranſitu amnis, deinde munerum quæ offerebantur magnitudine victum, à ſuis excuſſere cervicibus; fide in ſponſionem data, ſe de tota Genuenſium rixa ſtaturos arbitrio Galliæ regis. Philippo igitur in Galliam reverſo, dejecti ſunt iterum Guelforum animi. Robertus rex turpiter obſeſſus multum auctoritatis amiſerat. Nihil opis in Pontifice videbatur; qui conſumptis omnibus aliis remediis, Vicecomites ut hæreticos proſcripſit. Oppidanos denique arcebat à templo, quamdiu ab iis non deficerent. Deſituros enim arbitrabatur natura ſua mobiles, ac tanti fulminis atrocitate perculſos. Nec illum in totum ſpes fefellit. Tumultus enim in urbe exortus eſt, opera eorum quos potiſſimum Cardinalis Portuenſis ad audendum impulerat. Cæterum gliſcentem adhuc ſeditionem Galeacius ſuperveniens in tempore extinxit, introductis in urbem præſidiis, edoctoque populo in concionem vocato, hoc unum agi ut Turrianis reſtitueretur imperium. Turrianorum enim nomen nimia ſuperbia & crudelitas inviſum omnibus fecerat: cum è contra Vicecomites civili ingenio, moderatione, & clementia potentiam aſſererent necdum adultam; Saluberrimo remedio novis principatibus, in quos multorum odia incurrunt, niſi magnæ virtutes invidiam redimant. Cæterum excommunicationis fulmini multum formidinis detraxerat aſſuetudo in contemptum verſa. Pleriſque etiam ridentibus in hæreticorum numerum referri, qui majorum cultui addicti, nullis ſuperſtitionibus fœdarent Eccleſiam, nec nova dogmata populo inferrent. Ioannes quo-

quoque Pontifex deſtitutam ſpem quam conceperat in ſuum videns recidiſſe ludibrium, Fredericum Auſtriacum in auxilium ſollicitare cœpit per legatos, ſponſionem ferentes, ſe non tantum Archiepiſcopatum Moguntinum Alberto ejus fratri traditurum, ſed etiam ipſi acceſſurum auctoritate & ſtudiis, quibus ſibi aſſereret Imperium Ludovico Bavaro anathemate percuſſo. Populum denique edictis hortatus eſt confluere ad ſacrum bellum. Commodum enim legatio aderat ex Oriente Chriſtianorum ſuſpiria ferens. At ille Orientis curas uſque adeo à ſe removerat, ut aliquando admonitus ſacri belli reſponderit, Satis multos eſſe Saracenos in Italia. Conſilium ejus erat in Italia abuti militantium pietate, quemadmodum eventus poſtea explicuit. Præterea ut alendo bello ſumptus ſuppeterent, jampridem ſacerdotiorum omnium fructus in tres annos ſibi reſervaverat. Deinde & collationes ad ſe traxerat, Simoniacos eſſe prędicans ad quos ipſo jure ſpectaret electio. Sacerdotia autem triennio elapſo ſic diſtribuebat, ut in locum Patriarchæ ſubrogaret Archiepiſcopum, cui opimus Epiſcopus ſuccederet: ac rurſus huic minorem alium Epiſcopum ſubſtituebat. Et ſic per omnes gradus dignitatis ambulans, rurſus ex ſingulis ſacerdotiis à ſe collatis primi anni fructus retinebat, quos annates exinde vulgo appellant. His artibus ærarium Eccleſiæ, quod exhauſtum acceperat, ita ſaginavit, ut præter ſumptus in bellum factos, vigeſies quinquies centena millia reliquiſſe credatur.

Cæterum Fredericus Auſtriacus à Pontifice oneratus tot promiſſis, Henricum fratrem in Italiam pergere juſſit cum quingentis equitibus. Quos alia duo millia ſequebantur cruce ſignata, tanquam depulſum irent terra ſancta Saracenorum regem. Horum adventu Gibellini territi legatos protenus in Germaniam dirigunt, ruinam averſuros, ad quam tanti vis impellebat. Deſtituta inſuper Genuenſium obſidione ad ſua quiſque tuenda receſſerunt. Legatis ad Fredericum perductis, unum eorum in hanc ſententiam locutum accepimus: Etſi hautquaquam dubitemus, ſumma te prudentia & conſilio cuncta aggredi; præter opinionem tamen noſtram accidit, quod fideliſſimos in Italia clientes, tanquam hoſtes aut rebelles armis perſequaris. Quid enim fecimus ira tua vel indignatione dignum? cujus tanti criminis rei ſumus, quod expiari bello debeat? Non acceſſimus æmulo tuo, de Majeſtate nihil libavimus. Matthæus Vicecomes aliquantiſper uſurpavit Principis nomen, neceſſitate compulſus: aliter enim civium factionibus occurrere non poterat; Imperii tamen reverentiam nunquam depoſuit, ſacramentum fidei non violavit. Interroga Goriciæ comitem, an non conſule-

tulerimus omnia ad ſalutem Romani imperii. Et tamen nos illos debellandos tradis, qui auſpiciis tuis à nobis debellandi ſunt, ne quis alius quam Imperator Inſubriam inſideat. Non vides igitur ſummum Pontificem animo immodicum, improba ſpe totius Italiæ regnum affectare? Expende omnes ejus actiones, conſilia & machinas excute, tuoſque oculos vanis faſcinatos promiſſis tibi reſtituent. Vix enim Pontificatum adeptus erat, cum per totam Italiam edixit præfectis omnibus magiſtratu decedere, ut reſpublicas impleret ſuæ factionis hominibus, reliquiaſque Imperii deſtrueret. Poſthæc Goricio comiti vicario tuo reverentiam & obſequium deferri prohibuit. Eandem denique poteſtatem tanquam ſuam mandavit Roberto Neapolitano regi, quo graviorem hoſtem non habet Imperium. Adhæc civitatibus & provinciis imperialibus ad defectionem ſollicitatis, nullam aliam perſequendi nos cauſam habet, quam quod Romani Imperii obſequio aſtricti, libidini ejus morem non geſſimus, cui ſi paruiſſemus, jure meritoque pœnas à nobis expetere poteras. Quis autem non videt, hæc & ſimilia huc vergere, ut occupatis Inſubriæ clauſtris, Germanicis exercitibus præripiat tranſitum in Italiam, ac deinde ibi Cæſarianarum partium reliquias ſecurus extinguat? Nunquam illi fuimus inimici. Genuam obſidione clauſimus, quæ ad illum non pertinet. Vrbs eſt imperii notiſſima. Credidimus nos Sacramento religionis obſtrictos revocare illam ad ſuum corpus, à quo rebellis defecit. Intuere nunc pro quo, & in quos aciem ſtruas. Imperium tuum everſum is, ut acerrimum imperii hoſtem in poſſeſſionem recipias. Quid dicturi ſunt Germaniæ proceres, ſi pulcherrimam & utiliſſimam provinciam, infami prævaricatione faſtigio detrahas? Alienabis à te omnium animos, publicam invidiam, publicum odium contrahes. Nunquam de Imperio tuo ſine infamia loquetur poſteritas. At enim Pontifex diadema promittit tibi, pollicetur ſe fulminibus jactis Bavarum è Germania deturbaturum. Hoc ipſum facturus is eſt ſcilicet, qui inter vos tam diuturna fovit diſſidia, ut Germanici Imperii majeſtatem ſupprimeret. Mitte has ſpes inanes. Nam ſi bona fide tecum ageret, non uteretur promiſſis. Confirmaſſet protenus electionem tuam, ſponte ſua obtuliſſet auctoritatem, quam etiamnum, cum in promptu præſtare poſſit, callide differt. Satis diu jam deliberavit. Nullis ad hoc opus cæremoniis. Vnico verbo fortunam tuam poteſt abſolvere. Sed nihil minus habet in animo. Nec te, nec Bavarum imperatorem deſiderat. Nimis illi magnanimi videmini. Malit quemvis alium ſub cujus perſona imperet ipſe: Immo ſane malit neminem. Reſpice anteceſſores ejus, quo faſtidio ſemper abominati ſint

Cæſareum nomen, quam gravis & ſuſpecta ſemper fuerit hæc potentia ad faſtigium Italiæ collimantibus. Vtcumque nunc ille blandiatur tibi, altera tamen manu panem, altera lapidem oſtentat. Poſtquam tuis armis nos debellaverit, poſtquam beneficio tuo ſecurum effeceris, mox ſenties cum armis fruſtrari promiſſa, vireſque ſuas tecum conferre. Quaſſatus his Fredericus atque animo nutans, deliberaturum ſe reſpondit. Advocati in conſilium animi agitare cœperunt, quod optimum factu eſſet. Hinc Pontificis, inde Germanorum Principum haut dubie ſucceſſura indignatio trahebat animos in diverſa. Placuit tamen revocari auxilia. Quippe Italicum bellum ante id tempus vix poſſe confici in quod conſtitutum erat totis viribus cum Bavaro confligere. Nec tantas copias poſſe ſubduci, non habentibus unde reſarciant. Debellato æmulo Pontificis iram poſſe contemni: & gratiam illius ſibi inutilem, à principibus faſtidito. Fredericus igitur ex ſuorum ſententia legatis renunciat, daturum ſe operam ut ex Italia deportetur Germanicus miles. Rem tamen haberent ſecretam. fraude & diſſimulatione opus eſſe, ne de mandato quidquam reſciſcat Pontifex, totamque invidiam à ſe averſam, in Henricum fratrem inclinet. Abituris deinde tradit codicillos perferendos ad fratrem, quibus illum monebat quæſito prætextu Italia abſcedere. Henricus autem accepto imperio non remorandum arbitratus, à Cardinali Portuenſi cum ſupercilio poſtulare cœpit quidquid illum ſciebat negaturum, & in primis ſibi Brixiam tradi, ubi ſarcinas & impedimenta deponeret inter ſuorum præſidia. At ille novitatem conſilii haut parum miratus, facile in ſuſpicionem incidit Auſtriacum eſſe mutatum. Molliter tamen ei ſignificat, Fredericum operam ſuam bello locaſſe, nulla alia mercede, quam ut diadema acciperet. Nec Pontificem mutaſſe promiſſa. Curaturum tamen ſe militibus ſtipendia quanta nemo hactenus in Italia meruiſſet, & ut ipſi impedimentiſque bene ſit. Nam quod præterea exigeret, non eſſe in ſua poteſtate. Scire ipſum quoque invita multitudine non poſſe externa præſidia oppidis inferri. Lætus Henricus artes ſuas feliciter procedere, omnes alias condiciones reſpuebat, ad ſe non pertinere dictitans, quid cum fratre Pontifex egerit, ſuas eſſe quas adduxiſſet copias, ſuo potiſſimum ære conductas, ſuis denique militare auſpiciis. Itaque non ſervatam ſibi fidem ſimulans iter in Germaniam inſtituit, ſupremo interfuturus prælio, quo ſua fratriſque funeſta calamitate de ſumma rerum fortuna tranſegit. Fredericus à Pontifice multum incuſatus culpam omnem in fratrem congerebat. Veruntamen ad mitigandam ejus invidiam inducias à Gibellinis impetravit, Guelfis utique lætiſſimas, &

in

in primis Ioanni Pontifici, cujus res Auſtriacorum abſceſſu in pejus collapſæ, ſpacio egebant quo ſe poſſet inſtruere ad bellum, & cum juſto exercitu in campum recipere. Sed Gibellini ſtatim ruptis fœderibus in arma prolapſi ſunt. Diſſimulante cuncta Frederico, qualitercumque res compoſuiſſe contento. Nam & Goriciæ comes quem rectorem Italiæ dederat morbo an veneno è vivis conceſſerat. Nec multo poſt Matthæus Vicecomes Mediolani deceſſit. Potentiam ejus excepit Galeacius filius. Vix eam is libare cœperat, cum libertatis admonita civitas eſt, ab his qui res novare ſuſceperant. Nec hunc rerum ſtatum plebs averſabatur, exſatiata inquietudine belli, & dirarum abſolutionem à Cardinale exſpectans. Iam & Germanica præſidia cum multitudine conſenſerant pecunia & promiſſis corrupta. Quorum defectione Vicecomites exterriti tacite in exilium proficiſcuntur. Tunc vero Guelfi ſpem dominationis correptam acrius rapuerunt. Quippe inter nutantes & diſcordes proceres mobilemque populum viſa eſt inanis libertas. Cardinalis Portuenſis civium conſiliis implicatus clam agebat res ſuas. Eodem tradente rectorem urbs acceperat natione Burgundum, ſed qui paternam originem ad Turrianos referret. Quatiebatur interim civitas frequenti tumultu, pleriſque huc audaciæ venientibus,ut Turriana ſigna auderent erigere. Plena erat exulibus provincia, qui olim pulſi factionum atrocitate, nunc indulta præteritorum oblivione, quaſi ſub libertate victuri revertebantur in patriam. Per hos ſtatim correpta Modœtia, ac tunc demum patuit Guelfos ſub ſpecioſo libertatis titulo dominationem affectare. Itaque Gibellini inter ſe fremere, cum Germanicis militibus conſilia conferre; qui & ipſi ad deſtituendum Galeacium arte & impulſu traducti, perfidiam mutabant & pœnitentiam. Guelfos enim tacite oderant ut hoſtes Imperii, ſciebantque ſe Roberto regi juxta ac Cardinali ſuſpectos. Adhæc ſtipendia ſua die à Vicecomitibus repræſentari ſolita, & à Cardinale dilata, prioris principis deſiderium accenderant. Conſpiratione igitur facta accitum ab exilio Galeacium in priſtinum repoſuere faſtigium.

At vero Pontifex nunc à Gallis nunc à Frederico Auſtriaco turpiter eluſus, revocatumque à ſuis Galeacium in formidinem Italiæ creſcere impatiens, damnata omni alia ſpe, ſtatuit ipſe deinceps ſuis viribus bellum conficere. Multum armatorum in Burgundia Belgioque multum in Gallia confecerat. acerrimo delectu fervebat Italia. Tres duces nationibus præfecti. Henricus Flander Belgas cum Burgundis ducebat. Ex Hiſpania accitur Raymundus Cerdonius magni nominis dux inter ſuos,& de Mauris aſſuetus triumphare.Hic Gallis præeſſe juſſus.Simoni

Turriano attributum eſt in Italos imperium: cui ſe applicuit gentilium agmen à Paperno Turriano Aquilenſi Patriarcha ſuppetias miſſum. Succedebant Florentinorum Neapolitanorumque auxilia cum ſupplemento, quo veteres legiones propemodum exhauſtæ ad juſtum numerum revocarentur. Iamque univerſæ copiæ in deſtinatum locum convenerant, numeroque inito quadraginta millia explere ferebantur. Igitur Robertus rex exercitui præpoſitus cum tota mole Mediolanum contendit, fiducia plenus Galeacium Vicecomitem necdum ſat ſtabilita potentia deſtitutum iri à civibus, vel fame poſſe ad deditionem compelli. At illum tanti apparatus ad intentiorem ſui curam erexerant. Militem habebat ex ſuis ſociorumque copiis indurata virtute lectiſſimum: ſed longe numero imparem hoſti. Equitatus potiſſimum deerat. Itaque in campum prodire non auſus continebat ſe intra mœnia, Germanicum auxilium opperiens, quod inter ſuos de induſtria ſpargebat iter in Italiam habere. Siquidem Gaſparinus Stanga communi Gibellinorum nomine ad Ludovicum Cæſarem miſſus, haut dubiam ſpem inde remiſerat. Sed paullo poſt in urbem relatum eſt, Neapolitanorum copias turmatim abſcedere cum impedimentis. Quo irent quidve molirentur necdum ſatis ſciri poſſe, niſi quod fama eſſet Neapolim verſus iter ingredi. Poſtea vero cognitum eſt, Robertum regem in regnum revocatum eſſe, in cujus exitium armabatur Fredericus Siciliæ rex, fœderibus ruptis. Quippe ad veteres inimicitias recens quoque injuria acceſſerat. Pontifex enim Regium urbem, de qua inter ſe armis contenderant, ſequeſtro acceptam, Roberto tradiderat inconſulto Siciliæ rege; utique cui finitis induciis, ſi medio tempore non conveniſſet de pace, reſtitui debebat depoſita poſſeſſio. Itaque Siculus jus ſuum gladio repetiturus, Neapolitano regi bellum indixerat; magno cum dolore Pontificis, qui jus Eccleſiæ lædi obtendens, ſuumque ulturus ſupercilium, diris devovit Siciliæ regem, populo admonito per edictum, ut ab obedientia ejus ſe ſubtraheret, ſacramento liberatus cujus ipſe vinculum ſolviſſet. Cæterum Siculus quanquam ad ejuſmodi proterviam intrepidus, ne quis tamen motus in Sicilia oriretur, Petro filio diadema impoſuit. Et ſic quidem ille Pontificias artes pari calliditate eludebat: Robertus interim rex præcipuas vires ab obſidione Mediolanenſi in regni ſui tutelam abſtraxerat. Hoc nuncio Galeacius accepto auſus eſt erigere animum, paullo ante propemodum deſperantem tardantibus Germanorum auxiliis.

Ludovicus Cæſar hactenus à ſe removerat Italiæ curam, uni Frederico intentus. Intempeſtiva enim res videbatur, acerrimo hoſte pro

fori-

ſoribus ſtante, alieno ſe miſcere diſcrimini. Adhæc Gibellini ad propiorem ſpem utilitatemque converſi, cuncta venerantium officia Frederico detulerant: nemine adhuc ad Bavarum reſpiciente, tanquam inutilem rebus ſuis diſſitum procul, totiſque Alpibus Italia excluſum, quarum tranſitus Auſtriaci inſederant. Vbi vero pulcherrima victoria æmulique captivitate ſincere tandem abſolutus fuit à fortuna, multi venerunt gratulatum, ſuas ſpes & vota inſinuaturi; utique poſtquam Raynaldus Ateſtinus Ferrariæ rector bonitatem ejus experiri auſus, benignum reſponſum ex aula retulerat. Poſthæc uti dixi Stanga miſſus, fluctuantem adhuc ejus animum ad Italicam expeditionem acerrime urgebat imagine periculi quod in amittendo Mediolano imminere videbatur; ne ſcilicet commodiſſima provincia tot ſæculis poſſeſſa, tot cladibus aſſerta, nunc ad hoſtes deficiens, Germanicæ majeſtatis reverentiam in Italia funditus deſtrueret. Cæterum amici à Cæſare vocati in conſilium, Italicum iter vehementer diſſuadebant: necdum Germaniam adeo ſecuram ut ipſo procul agente turbari nequeat. Leopoldum ingenio violentum, & tranquillitati prægravem, inſita ferocia omnia auſurum, quo Fredericum fratrem cuſtodia eripiat. Nec vim ad exequendum defore, ſollicitare Gallorum animos Germanico imperio ſemper infeſtos, ſemper æmulos, tracturoſque facile in partes ſi ipſe flore militari in Italiam abducto, diutius abeſſe cœperit. Poſſe tamen invocantes Gibellinos ope juvari, idque ipſi & imperio conducere. Ejuſmodi enim beneficio occupandam eſſe Italorum gratiam, qui iter aperiant adituro Romam, commeatum & cætera neceſſaria exercitui ſufficiant, denique quocumque pergeret ſecurum præſtent. Nec metuendam Pontificis offenſam. Bellandum enim cum illo ſub veterum factionum nominibus, & pro dominatione terrarum haut dubie ad Imperium ſpectantium. Neque olim Goricio Comiti ipſiſque Auſtriacis, neque nuper Carinthio duci fraudi fuiſſe in iiſdem ſteтiſſe caſtris, vireſque ſuas imputaſſe Imperio. Decretis igitur auxiliis quingenti equites feſtinare jubentur priuſquam Mediolanenſem deditionem hoſtis exprimeret. Bertholdus Nyeffius agmini præerat. Is Penninis Alpibus in Italiam deſcendens, facile perrupit ad obſeſſos, evitatis caſtris quæ ad Comenſem portam Pontificii ſtatuerant. Quippe ea tempeſtate in Italia adhuc inſolitum erat mœnia claudere continuo vallo. Necdum enim ſcientia militaris ad hodierni ſæculi præſtantiam ſurrexerat. Summa virium conſtabat equitibus. In modico pretio pedites habebantur; quorum uſum in prælis Itali demum poſt aliquot ætates ab Hiſpanis Helvetiiſque edocti ſunt. Equites diſtributi per agmina inter

ſe ſpacio diſtantia, obſervabant aditus quicumque in urbem ferebant. Ad cuſtodiam caſtrorum pedites diſponebantur. Cæterum Cæſariani intra murum recepti, adjuncto ſibi urbano milite continenter erumpere, turmas ad cuſtodiam itinerum vigilantes ferociter aggredi, in aggeres perfringere. Nam ſingula hoſtium agmina imparia erant Galeacio cum tota virium mole illic incumbenti, & cæteræ ſtationes loco diſſitæ, laborantibus ægre in tempore ſubvenire poterant. Cædebantur igitur frequentes ſtationes munitionibus pulſæ, & per diruta earum valla liberi commeatus in urbem veniebant. Itaque Pontificii tot incommodis affecti, atque in hæc mala laborantes remediis, priuſquam latius creſceret periculum, incenſis caſtris obſidionem laxant.

Poſthæc Nyeffius ad Cardinalem Portuenſem Placentiam proficiſcitur Fredericum Trahedingum & Bertholdum Graiisbachium ſecum habens. Iiſdem mandatum erat ut diſſidia partium honeſta condicione tentarent componere. Sed non eo erat Cardinalis ingenio, cum quo de pace poſſet conveniri. Auditis enim quæ adferrent, vehementer excanduit, jactanſque Pontificis in Itatiam imperium, cum protervis in Cæſarem contumeliis, maxime objurgabat legatos, quod ipſi infames & hæreticis annexi ad ſe venirent cum ejuſmodi mandatis; jubebatque illos intentato anathemate protenus Italia decedere. Mirum eſt militares animos tam facile potuiſſe percelli. Sane conſternati ad hoc telum alii Veronam, alii Lucam & Mantuam ſe receperunt, cum copiis & impedimentis, tanquam à Vicecomitibus disjungerentur. Quæ cum nunciata Cardinali eſſent, obſidionem Mediolanenſem redintegrari imperat. Nyeffius à Galeacio revocatus contumaciter negabat ſe venturum priuſquam à Cæſare juberetur. Timuiſſe crediderim ne ſi eodem fulmine peteretur Cæſar (quod haut perplexe Cardinalis jactaverat) tota culpa & invidia in ſe recideret. Perplexi erant Vicecomites & propemodum redacti in anguſtias, miſeruntque propere nunciaturos Cæſari in quo diſcrimine ipſi eſſent, & ſi ceſſarent auxilia, deditionem diutius non poſſe differri.

Multorum menſium obſidio fatigaverat non cives modo, ſed etiam hoſtes, per quorum caſtra peſtis ſe acerrime diffuderat. Anxii duces, & de belli exitu ſolliciti, multa inter ſe agitabant, cœperuntque cogitare qua ratione Galeacium tollerent è medio. Solus enim ille credebatur continere in officio contumaces, eoque ſublato cives & milites uno conſilio deditionem facturos. Quidam urbani ex Helvetia milites pecunia corrupti in flagitium conſenſere. Nihil enim nefas in illum putabant, quem devoviſſet Pontifex. Nec operoſum facinus videbatur.
Lu-

Luſtrantem enim pro conſuetudine, nocturnas vigilias, in ſuis ſtationibus decreverant opprimere. Sed Ioannis Viecomitis ſolertia effectum eſt ut inſidiæ exitum non haberent, perfidorumque ſuppliciis expiaretur abominandum illud ducibus exemplum.

Interea hoſtilis exercitus ſenſim deficiebat. Alii diffluebant à ſignis, multos deſtituebat valetudo, denſa funera à contubernalibus exportabantur. Iam quoque Gaſtonem mors abſtulerat, Cardinalis ex fratre nepotem, qui in locum Roberti regis militari imperio ſucceſſerat; cum jubente Cæſare Nyeffius Mediolanum reverſus eſt. Præter milites quibus præerat, non ſpernenda ſociorum auxilia adduxerat. Hinc ſtatim terror in hoſtium caſtris, ipſos quoque duces corripuit. Neque enim dubitabant cum tota mole erupturos Vicecomites Cæſarianis modica quiete refectis, impetumque eorum aggeribus ſiſti poſſe diffidebant. Optimum igitur conſilium videbatur cito diſcedere. Nox ad fugam electa eſt, ne deſeri obſidionem cives intelligerent. Convaſatis igitur quæ avehi poterant, Modœtiam verſus iter inſtituunt, Vaprioque vico præſidiis firmato Abduam flumen ponte committunt; unde & commeatus excipi poſſent & milites, quos Cardinalis Placentiam perduxerat. Vicecomites de fuga hoſtium certi feſtinaverant ſequi. At illi celeritate uſi Modœtiam pervenerant non auſi facere periculum ſui. Quamvis enim numero præſtarent, ſpes tamen & alacritas militem defecerat. Galeacius decernere avidus priuſquam creſcerent hoſtium vires, pontem adoriri conſtituit, conjiciens hoſtes periculo admonitos exituros in prælium. Amiſſo enim ponte diutius ibi perſeverare non poterant, omni ſpe auxilii intercluſa nec proviſis ante commeatibus quibus tanta multitudo aleretur. Nec conjecturam ejus hoſtes fefellere. Extundente enim neceſſitate eduxere quoque ſuos in campum. Iamque aciem inſtruere cœperant, cum Galeacius occupari Vaprium vicum, tectiſque ignem injici jubet averſurus à prælio hoſtes, cura recuperandi impedimenta quæ cum modico præſidio illic reliquerant. At illi proditionem ſubeſſe rati, haut immodice turbabantur, Vicecomitumque impetum ſuſtinere perculſi non poterant. Brevi igitur fuſi, profligatique ſunt. Inter captivos præfectorum multi, ipſe tamen Cerdonius eminuit. Nam Simon Turrianus fortiſſime dimicans in acie ceciderat. Poſthæc Galeacius victoria exultans Modœtiam obſedit. Huc ſe Henricus Flander ex fuga detulerat, cum Vergufio Lando; qui Placentia Pontificiis prodita veniam deſperans, ultima experiri decreverat, paratum ſubſidium à Cardinale exſpectans. Cæterum Narbonenſibus turmis in itinere oppreſſis, dein Paſſerino Turriano cum reliquis

quis cæſo, Flander occulte profugit ex oppido, Landuſque incolumitatem pactus deditionem fecit. Poſt tam ſplendidam & ſine exceptione victoriam Galeacius tamen Rolando Rubeo Parmenſium principe & Ioanne Morigia multum hortantibus hoſtilia cum Pontifice deponere conſtituit. Satis gnarus recentem potentiam pace melius quam bello haberi, & pecunioſum illum ſenem, animoque indomitum novos milites novos exercitus reparare poſſe in Gallia, bellumque in Italiam referre. Miſſi igitur legati Pontificis animum ad fœdus inclinant; ſuadente maxime Raimundo Cardonio, qui ſub fugæ ſimulatione à Galeacio clam dimiſſus id ſe facturum receperat.

Dum hæc in Italia geruntur interim Leopoldus Auſtriacus non Cæſari blandus, non ſupplex, ſed violentus ira, & doloris impatiens, verſabat ſe in omnes cogitationes ut Fredericum fratrem è carcere eriperet. Compoſitæ in Germania res ſtratiſque jam partium odiis omnem ibi ſpem abſtulerant. Sed fortunas ſuas maxime apud Gallum deflebat curaturum ſe illi imperium promittens, ex quo Ludovicum dejiceret. Sed bellum cum Germanis regi non placebat; ſatis gnaro vaſtum illud imperii corpus in concordia invictum, non aliter quam ſuiſmet viribus poſſe deleri. Titillatus tamen ſpei quæ offerebatur magnitudine, apud Pontificem agitare cœpit, ut anathematis telo Bavarus peteretur. Sciebat enim Pontificem non abhorrere ab hiſce conſiliis, ſæpius à Cardinale Portuenſi admonitum, haut alia ratione afflictas in Italia res poſſe reſtitui. Nec dubitabat Leopoldus in tumultuoſa illa rerum tempeſtate, deſcituros à Ludovico Septemviros cum populo reliquiſque optimatibus. Bohæmum enim & Trevirenſem tacita odia ſimulatione abſcondere. Colonienſem Auſtriacæ domui annexum eſſe. Moguntinum Pontifici obnoxium. Saxonem poſſe muneribus corrumpi. Ex alia parte Ioannes Pontifex Bavaro infeſtus, gaudebat regem idem velle quod ipſe apud ſe timide conſtituerat. Igitur edictis & fulminibus detonare cœpit, & ſanctiſſimum imperatorem mortalium contumeliis exponere: utique poſtquam Modœtiana clade Avinnionem delata, ira atque dolor omnem illi hæſitationem abſtulerant. Non deerant quærenti prætextus, quibus affectus ſuos tegeret imagine juris & pietatis. Tota criminatio in tabulas congeſta eſt, quas propemodum ipſiſmet verbis legentium oculis exponere conſtitui. Nec enim omnia quæ relata ſunt in annales ejuſdem ætatis, revocari poſſunt ad venuſtatem, niſi ut auctoritas vacillet incorruptam fidem profitentium. Forma tabularum eſt iſta.

AD

Ad Perpetvam rei memoriam.

Cum neglectus error in tacitum conſenſum exire ſoleat, & juſtitiæ veritas opprimi juſto præſidio deſtituta; idque nos revocantes in animum, profecto non committendum duximus, ut deſidia noſtra calcetur Eccleſia. Certum eſt Romanum Imperium Apoſtolicæ ſedis auctoritate tranſlatum à Græcis in Carolum Magnum, inde conceſſiſſe ad Germanos. Nunc vero cum defuncto Henrico Imperatore, Septemviri Principes in contraria ſtudia diducti, elegerint duos, admovendos faſtigio, Ludovicum Bavariæ, & Fredericum Auſtriæ duces: neutri eorum fas fuit uſurpare titulum nomenque regis, vel adminiſtratione ſe ingerere priuſquam Apoſtolicę Sedis acceſſiſſet auctoritas. Ad eam enim rejectio & admiſſio, ac donec alterutrum fiat, tota Imperii adminiſtratio pertinet. Quippe ante adeptam auctoritatem, electi ipſi nec ſunt reges, nec habendi pro regibus, neque etiam nominandi reges, ſed in regem electi. Quandoquidem igitur ſupradictus Ludovicus, non approbatus, non admiſſus, ſe palam dixerit Germaniæ regem: eoque titulo non contentus, gubernacula Imperii invaſerit; clientes in fidem acceperit, honores & officia diſtribuerit; atque adeo nuper Marchionatum Brandeburgenſem in filium tranſtulerit, Galeacium Vicecomitem ejuſque fratres damnatos hæreſis crimine atque proſcriptos, in tutelam acceperit, aliiſque Eccleſiæ rebellibus auxilio acceſſerit, non ſine manifeſta injuria Divinæ Majeſtatis, Eccleſiæ contemptu, animæque ſuæ exitio: Nos itaque ne in conſuetudinem tranſeat pernicioſa temeritas, obviare decrevimus, ipſumque Ludovicum ab erroribus in viam retrahere. Sed quia præſentem habere non licet, nec tutus ad illum patet acceſſus, poſitumque eſt in mora periculum, accedente fratrum noſtrorum conſenſu, ex certa ſcientia, & plenitudine poteſtatis, injungimus ipſi ſub pœna excommunicationis, ut intra ſpacium trium menſium adminiſtrationem deſerat, eamque differat reſumere poteſtatem, donec acceperit conſenſum à nobis. Iubemus præterea, ut à ſe geſta ſub colore tituloque Regis, intra idem temporis ſpacium reſtituat in integrum. Quod ſi imperio noſtro detrectaverit morem gerere, abſentia ejus non ſpectata, procedemus ad publicationem pœnarum, in quas ipſo jure factoque incidit, vel prout nobis æquum videbitur. Mandamus igitur univerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & quibuſcumque aliis Eccleſiaſticis, ſub pœna ſuſpenſionis ab officiis & beneficiis, ut noſtro pareant imperio. Injungimus quoque omnibus & ſingulis civitatibus, univerſitatibus, perſoniſque Laicis, ſub pœna excommunicationis & privationis privilegiorum, tam Apoſtoli-

corum, quam Imperialium, feudorumque tum ab Eccleſia cum Imperio dependentium, ne regiam obedientiam aut reverentiam deferant Ludovico, auxilio aut conſilio adſint, ante approbationem Apoſtolicæ Sedis. Quod ſi quiſpiam illi ut regi, vel in regem electo, obſtrictus ſit ſacramento fidelitatis, decernimus illud irritum eſſe, tanquam ei dictum cui præſtari non oportuit & ſine detrimento ſalutis æternæ ſervari nequeat. Adhæc ſi Ludovicum, vel quemvis alium ab excommunicationibus & interdictis privilegia excipiant, eadem hactenus ſic revocamus, quatenus huic proceſſui impedimento eſſent. Obligari tamen nolimus, quo minus pendente ſupradicto ſpacio trium menſium, progredi nobis liceat ad publicationem pœnarum, vel prout aliter viſum fuerit. Cæterum ne Ludovicus, vel quorum intereſt, obtendere poſſint ignorantiæ cauſam, præſens edictum Avennione curavimus affigi valvis templi; cum non ſit veriſimile occultum fore, quod omnium oculis legendum exponitur, & publica quaſi vox promulgat. Decernimus itaque Apoſtolica auctoritate, Ludovicum cæteroſque quorum intereſt, hanc publicationem ita obſtringere, ac ſi præſentes eſſent, non obſtantibus Pontificiis conſtitutionibus in contrarium. Datum Avennione, in Pal. Epiſ. VIII Id. Octob. Anno VIII.

Hoc edictum Avennione publicatum, per diverſa terrarum juſſit diſtribui. Nondum ſe ſuſpectum Bavarus ſenſerat, & jam damnatus erat; jactantibus inimicis, & in vulgum ſpargentibus, nefas eſſe cum eo miſceri, quem ſummi Pontificis execratio devoviſſet. Iamque ad aures ejus rumor quoque allapſus erat, haut quaquam credentis, tam intemperanter feciſſe Pontificem, nullis injuriis vel contumeliis à ſe laceſſitum. Itaque nullius malæ conſcientiæ atrocitate pulſatus, & integritatis ſuæ conſcius, rebatur eſſe inimicorum calumnias, improba ſolertia infamiam ipſi invidiamque quærentium. Neque enim comminiſci poterat tam præcipitis violentiæ cauſam. Ad ultimum victus conſtantia famæ, Albertum Strasburgium Commendatorem hoſpitaliorum ſancti Ioannis per Alemanniam, Everſturpium Sabechium Archidiaconum Herbipolenſem, & Henricum Thorunium Canonicum Pragenſem Avennionem dirigit, exploraturos de fulmine certiora: & ſi conſtaret libratum eſſe, prolixius ſpacium ad defenſionem exigerent.

Eodem tempore tumultuatum eſt in Inferiore Bavaria. Principes enim adhuc pro indiviſo domini, non ſatis moderate potentiam exercebant. Largiri immodice alliciendis clientibus, publicas opes luxu profundere, augere tributa, cuncta ex libidine agere, pravis paucorum conſiliis, qui malis publicis ſaginabantur. Plebs interim tacite
mœre-

mœrebat. Inter ſe muſſabant Optimates, curæ ſuæ inniti ne quid detrimenti reſpublica acciperet. Acerrimi denique queſtus audiebantur maledictis devoventium Syfridum Rotenburgium & Conrardum Cameravium provinciæ præſidem, cum Frederico epiſtolarum Præfecto, in quos publica odia potiſſimum exarſerant. Credebantur enim abuti adoleſcentium ætate, & in hæc conſilia incautos impellere. Itaque cum jam non occultis colloquiis, ſed aperte omnes fremerent, provinciæ Ordines querelas publicas ad principes deferunt, flagitantque eligi ex numero Optimatum ad formandum rerum præſentium ſtatum. Parva res erat prima ſpecie. Sed luxurianti poteſtati fræna ponere non poterant, niſi ut reſolverent vim principatus, & infami ſervituti potentiam aſtringerent. Principes tamen publicæ voci impares, in ſuum dedecus conſenſerunt. Timebant enim ne res ex tumultu in ſeditionem excederet. Lecti igitur ſunt duodecem-viri: Alramus Halſius, Henricus Ortenburgius comites, Henricus de Preyſing, Sigfridus Buchbergerus, Bernardus Granſius, Ebranus Lauterbachius, Conrardus Fraunbergius, Adelhardus Fraunhoferus, Arnoldus Mäſſenhauſerus, Vlricus Loblingerus aulæ præfectus, Henricus Ramſpergerus, Albertus Ruſtorfferus. Hi præſcripſere leges, intra quarum formulam Principes tenerentur. Duces intra biennium provincias ne dividunto. Controverſiarum ſuarum arbitrium quindecemviris permittunto. Fœderibus renuncianto. Nona ne contrahunto. Rerum à ſe geſtarum rationem reipublicæ reddunto. Largitionibus abſtinento. Promerentibus gratiam ſex procerum ſententia referuntò. Præfectos ſine conſilii auctoritate ne amovento. Suffecti in hæc ſcita juranto. Sigfridus Rotenburgius tributa ne augeto. Ottonis regis tabulæ & quæcumque aliæ cavent provincialium immunitati, obſervantor. Ex his jura redduntor: qui ſecus faxit ære mulctator. Privilegia & indulta ſexdecem-viri recognoſcunto. Supremus epiſtolarum præfectus cum conſiliariis rationes publicas excipiunto. Delati vadimonium obeunto. Iudices de cauſa cognoſcunto. Privatum judicium nullum eſto. Fredericus Epiſtolarum præfectus annulum Principis reſignato. Conrardus Cameravius magiſtratu decedito. Vterque curia abſtineto. Rationem geſtorum reddito. Succeſſores arbitrio ſexdecem-virorum eliguntor. Quæſtores communes ſunto. Ærarium Principum æqualiter curanto. Conjugibus eorum & ſorori dotem conficiunto. Pacis belli que arbitrium penes ſenatum Palatinum eſto.

Signavere tabulas Bernhardus de Abenſperg, Diethelmus de Freyberg, Hartliebius Buechberger, Conrardus Preyſinger, Henricus Sattelbo-

telboger, Ortliebius Mäſſenhauſer, Adelramus Rotaver, Ioannes Warter, Vlricus Ecker, Albertus Neukircher, Berengarius & Ludovicus Ganſii, Hartvicus Degenberger, Eprechtus de Haydaw, Guilielmus Wintzerer, Seyfridus Fraunberger, Henricus Törringer, Suitgerus Tüſchel. ad hæc Landshutum, Strubinga, Cham & Burckhuſium præcipuæ civitates.

An. M CCC XXIV. Cæterum legati Avennionem delati, obſtructas aures Purpuratorum inveniunt, quibus Pontifex conſiliis aſſueverat. Novam in contumaciam trahebatur, quod Ludovicus in codicillis mandati Cæſaris titulum nomini adſcripſerat. Quarto non. Ianu. ad Pontificem introducti in hunc modum verba habuere. Nuper fama in Germania increbruit, filio tuo Ludovico motam eſſe controverſiam ſtatus. Et quidem ille vulgi rumoribus fidem non habuit, ratus inimicorum ſuorum maledicentia ſparſos. ſibi enim perſuadere non poterat, ut nec admonitus, nec citatus, atroci ſtilo repente conficeretur, nullius ſibi delicti conſcius. Nihil enim unquam ſanctius religione habet, ſinceriſſimiſque votis ſemper exoptat ut perpetua felicitate fruatur Eccleſia. Conſtantia tamen famæ motus, proficiſci nos juſſit, & in fidem veri inquirere. Comperto igitur rumores illos vanos non eſſe, ſex menſium ſpacium exigit, intra quod & nobis liceat certiora referre, & ipſe ſe ad defenſionem componere. cauſa quippe gravis agitur. Convocandi ſunt Ordines Germaniæ & ex eorum ſententia ſtatuendum quid ipſum omnino facere oporteat. Merito igitur prolixius intervallum poſtulat non ut inutili dilatione negotium fruſtretur. Sed ut cultum omnem, & obedientiam, quam poteſt, & licet, Sedi Apoſtolicæ deferat. His auditis nullum aliud reſponſum datum, quam ut petitionem ſuam ſcripto complecterentur. Igitur prid. non. Ianu. libellum exhibent, in eam ſententiam quam modo dixi, adjunctis codicillis, quibus mandata ſua Ludovicus commiſerat, in hanc formulam.

Ludovicus Romanorum rex ſemper Auguſtus. In Romanam curiam legatos dirigimus, veſtigare juſſos, an dicam mihi ſcripſerit Pontifex Maximus. Audio enim in controverſiam trahi dignitatem meam. Quod ſi conſtiterit verum eſſe, mementote diem laxiorem exigere. Anguſtius enim præſtitutum ſpacium eſſe intelligo, quàm & intervallum loci, & cauſæ magnitudo poſtulat. Tum ad ea Pontifex reſcripſit. Officii mei ratio exigit ne jura Eccleſiæ interverti patiar. Nequaquam Ludovico infenſus ſum, & in eo ſervo affectum filii, quem publicis ille offenſis extinguit. Nam cum modo contra jus & fas, privatis auſpiciis imperii gubernacula invaſerit, durante interregno ad Sedem

dem Apoſtolicam ſpectantia: modo cum Vicecomitibus Mediolanenſibus ab Eccleſia projectis, ſocietatem armorum contraxerit: Ferrariam denique Sancti Petri vetus patrimonium in clientelam acceperit, in ultima remedia propulſus ſum: quia tot facinoribus aliter ſubvenire non poteram. Si jura Eccleſiæ ſalva vellet, ſi contumaciam poneret, non arrogaſſet ſibi titulum Cæſaris in codicillis, quos ad me detuliſtis. Renunciate igitur illi, ſi ſana conſilia pati poſſit, regno cederet ad ipſum non pertinenti abſque auctoritate Apoſtolicæ Sedis. In eam rem tres menſes edicto præſtitui, qui jam propemodum exſpirant. Verum enimvero etſi illum à me nihil impetrare oporteat, utpote re ipſa convictum: ne tamen per omnia durus reumque velle præcipitare videar, unum alterumve menſem adjicio, ſcituro niſi intra illud ſpacium morem geſſerit imperio meo, librata me fulmina in caput ejus excuſſurum. Poſthæc edicti copiam petentibus exhiberi juſſit. Non exſpectabat profecto tantum animi à Ludovico, ut ſupercilio ejus auderet intercedere. Arbitrabatur enim Principes ſuperiorum temporum exemplo receſſuros in factiones, Epiſcoporum ope, quorum multos ipſe ſubvexerat: & ſic debilitata Ludovici potentia non ſua vi nixa, occupare rerum adminiſtrationem, donec ſibi ſubjugaſſet Italiam, imperium deinde traditurus Gallo.

Reverſi in Germaniam legati nihil in Romana curia parati renunciant. Pontificem neſcio qua vanitate tumentem, imbutumque deterioribus conſiliis, pervicaciter repoſcere Imperium. Prolatis deinde codicillis quos attulerant, tota principis domus inhorruit, Ludovico potiſſimum ſtupente ad lectionem acerbiſſimi edicti. Nam præter novitatem infamiæ anxius erat, ne deſereretur à populo trepida ſuperſtitione capta. Idem metus amicos invaſerat. Deliberare igitur cum iis cœpit, quid ſibi capiendum conſilii. Erant inter illos Ioannes Iandunus & Marſilius Patavinus profeſſione medicus. Horum conſiliis ut plurimum utebatur. Viri erant illius temporis eruditione exculti quorumque ingenia adhuc durant. Hi autem magnopere ſuadebant, appellaret ab edictis ad proximum generale concilium. Acerrimum hoc telum eſſe, & multis retro Principibus uſurpatum, ad frænandam Pontificum libidinem, ſacroſanctis Eccleſiæ cenſuris ad privatos affectus abutentium. Neque alia nuper arte Philippum Galliæ regem illuſiſſe Bonifacio octavo fulminibus ejus in ludibrium verſis. Neque olim tot execrationes pari appellatione ſufflaminatas ſatis valuiſſe ad præcipitandum Fredericum Secundum de faſtigio. Minus autem nunc valituras, longa aſſuetudine edocto populo, anathematis tela ſine cauſa Ca-

nonica temere vibrata, non pervenire ad animum. Magnum invidiæ flumen inundaturum Pontificem, cum provocationis libellus in vulgus exiens, ambitioſa illius conſilia aperiet, quibus molitur ſupprimere Imperium, rerumque ſummam obliqua arte à Germanis averſam ad ſe trahere. Si quorum ille conſcientias turbaſſet, viſuros ſe ſtatim in quietem ſubſidere, cum tot in ſe ſtudia amicorum principum licentiam hanc deteſtari conſtiterit. Illorum enim neminem laturum, tam abominandum Germaniæ exemplum. Nemo in conſilio fuit qui non optime dictum crederet. Igitur Cæſar Norimbergam profectus teſtes corrogari jubet. Inter eos fuiſſe comperio Nicolaum Epiſcopum Ratisbonenſem, Henricum à lapide Præpoſitum Eccleſiæ B. Mariæ Eyſtetenſis, Vlricum Præpoſitum B. Stephani Bambergenſis, Conrardum Stauff Canonicum Capellæ Ratisbonenſis, Godefridum Paſtorem Ambergenſem, Fredericum tabellionem Norimbergenſem, Henricum Paſtorem Pfalendorfienſem, Henricum Hanſuerium, Ottonem Wardenſem, Hedignum tabellionem Bambergenſem.

Iidem admonitis quo fine vocati eſſent lecta eſt in primis proteſtatio in hunc ſenſum conſcripta. Quidquid Pontifice coram, ſi tempus locuſque permitterent, dici oportuit, auribus veſtris hic inſinuo; dato tempore curaturus ut ipſe quoque Pontifex intelligat. Itaque Deum homineſque obteſtor, nihil mihi antiquius eſſe ſancta matre noſtra Eccleſia, polliceorque me tutelam ejus ita ſuſcepturum ut nihil juris illi pereat, eoſdem habiturus inimicos, quos ipſa habuerit. Obteſtor prætera nihil ope mea factum, quo jura Eccleſiæ læderentur, atque emendare paratum eſſe, ſi quid imprudenti exciderit. honorem & reverentiam ab anteceſſoribus meis præſtari ſolitam Ioanni Pontifici quoque delaturum, & è contra non commiſſurum ut Romanum Imperium ejuſque dignitas detrimentum patiantur.

Poſthæc recitari jubet appellationis formulam in hanc ſententiam: Hactenus me erga Sedem Apoſtolicam ita geſſi, ut nihil officii deſideretur quod in colenda ea non impenderim. Ioannem Pontificem, ut par fuit veneratus ſum, patriſque loco ſemper habui; in ſpem adductus benevolentiæ fructum quem ex me per tot officia perceperat mutua charitate compenſaturum. Sed longe aberravi à deſtinatione mea. Vnde mihi præſidium quæſieram, creatum periclum eſſe video. Quod enim nunquam putaſſem, ut in Romana curia de fatis meis ageretur legati quos ſcrutaturos dimiſeram, omnia incredulo aperuere. Fortuna mea in diſcrimen vocata eſt. Iuſſus ſum diadema deponere, quod tot annis legitime poſſedi, & in optima cauſa gladius quoque bellanti adju-

adjudicavit. Vulgata ſunt atrociſſima edicta. Librata fulmina, & in caput meum promiſſa. Adhuc tamen nemo abſentem ad dicendam cauſam citavit, & quod pro omnibus leges valent uni Imperatori non contigit. Ne tempus quidem idoneum præſtitutum eſt, quo poſſem me ad defenſionem inſtruere. Nihil recte atque ordine factum: qualitercumque tamen factum, non niſi ſumma cum injuria mea, cum pudore & contemptu Imperii publicoque ſcandalo potuit accidere. Quid enim inde aliud exſpectes quam diſſidia & contentiones, quibus pace publica fœde excuſſa, ab Eccleſia diſſocietur Imperium infami divortio? Hac autem ſeceſſione quid acerbius? cum diſtractæ civium mentes, hinc in Cæſarem, inde in Pontificem maledictis & contumeliis inſurgent? Si quid Pontifex peccatum crediderit, potuit mecum agere humanius, & primum pridem admonere debuerat paterno affectu, deinde increpare acrius contumaciter ceſſantem, conſumptiſque omnibus aliis ad extrema demum pervenire remedia. Quis unquam pater ſic exarſit in filium, ut non exſpectaret ab eo pœnitentiam, vel non admitteret pro innocentia ſua dicturum, priuſquam abdicaret à familia? Ille vero in filium Eccleſiæ ſumma poteſtate præditum tam animoſe acuit decretorium ſtilum, ut inter optimam cauſam, & iniquiſſimam litem deſtitutus, prius me damnatum ſenſerim quam reum eſſe. Neque adhuc ſatis invenio quid imprudens fecerim repudio dignum, aut cur ſupercilium ille ſuum in me tantopere exaſperet. Quidquid enim edicto ſuo complexus eſt injuriæ ſunt, & falſis cauſis adumbrata commenta, quibus innocentiam meam inſimulat. Vſurpaſſe me ait titulum nomenque regis citra auctoritatem. Ait diſcordibus Septemvirorum ſuffragiis vacare Imperium, & quoties interregnum eſſet ad ſe ſpectare adminiſtrationis ſummam, quam privatis auſpiciis ipſe invaſiſſem in necem Eccleſiæ. Ait denique me Galeacio Vicecomiti ejuſque fratribus hæreſis crimine damnatis, aliiſque Eccleſiæ rebellibus acceſſiſſe auxilio. Hæc ſunt crimina mea quæ tam atrociter perſequitur. His ſcilicet flagitiis impulſus repoſcit à me ſceptra, jubetque intra trium menſium ſpatium ad privatum ſtatum reverti, & quidquid hactenus geſſi in integrum reſtituere. Nec tot contumeliis ſatiatus, ſubjectos & clientes Imperii, ſacramento liberat, omnium devotis capitibus qui obedientes mihi eſſent, aut ad reverentiam majeſtatis ſe reciperent. Addit præterea ipſo jure incidiſſe me in hæc ſupplicia, liberumque ſibi eſſe vult, etiam ante lapſum ſpatium deſignati temporis ab Eccleſiæ gremio convictum projicere. Ego profecto recte mihi conſcius ſum. Et ſi maxime quæ objiciuntur vera eſſent, nullum tamen

cri-

crimen ſubeſſe video. Titulum regis merito uſurpavi, atque etiamnum uſurpo, hautquaquam depoſiturus priuſquam fata morienti detraxerint. Rite electus, ritè inauguratus ſum. Ea res me fecit regem, ſimul etiam adminiſtrationem contulit. Ita enim jubent leges. Nec aliis moribus in Germania vivimus Nemo hic unquam dubitavit, nec hodie dubitat, regem eſſe quem legitima electio Caroli Magni ſolio impoſuit. Vſque adeo ut pro inſano habendus ſit, qui populi aures auderet imbuere ejuſmodi prodigiis. Quod igitur meum delictum? Nihil ex vetere more mutavi, nec juris quidquam uſurpo, quod in regibus antea non fuerit. Licuit mihi ex quo inauguratus ſum Imperii poſſeſſionem ingredi, clientes in fidem admittere, vacua beneficia conferre, anteceſſorum meorum exemplo, & ab antiquiſſimis regum accepta conſuetudine. Atenim confirmatus non ſum. Non ſum repulſus quoque. Iamdiu conſenſum Pontificis imploravi, electionis meæ tabulas repræſentari illi juſſi. Igitur noxæ eſſe non debet, ſi per tot annos ille diſtulerit quod jure mihi negare non poterat. Verumenimvero ne hoc quidem ſimpliciter conceſſerim Pontificis partes eſſe, electum admittere, vel rejicere. Et ut hanc illi demus poteſtatem (quod utique non credo) non eſſet tamen arbitraria. Sed tum demum exercere poſſet jus ſuum, cum per querelam vel appellationem vel alio quovis modo adductum eſſet coram ipſo in controverſiam negotium: vel ſi forte infulas imperiales petentibus haberet legitimam recuſandi cauſam, ipſiſque legibus nominatim expreſſam. Sed nihil horum in me cadit. De fortuna mea apud Pontificem non litigo. Nihil commiſi in leges ex quo repelli merear. Quid igitur habet, quod libellum repudii mihi ſcripſerit? Quia ſcilicet nomen regis uſurpavi, quia reipublicæ manus impoſui priuſquam ille auctor fieret. Si tamen excutiamus leges, procedunt iſta ab electione. Nihil juris Pontifex confert. Sed tantum detegit juſtitiam electionis, ſuoque aſſenſu latius commendat. At contendit me in diſcordia electum, & proinde vacare imperium ejuſque adminiſtrationem ad Eccleſiam devolvi. Decimus annus agitur ex quo in ſinum meum reſpublica conceſſit, ſummamque ejus guberno. Tot ad Pontificem litteras dedi quibus titulum regis nomini adſcripſi, & nunquam mihi controverſiam fecit. Quid nunc demum ſomniat in diſcordia electum, qui plura me ſuffragia numerem. Quomodo poteſt vacare Imperium quod tamdiu ipſe inſideo. Quid jam incurrit novi, cur diadema abjicere debeam, ut meis ſpoliis ille exultet? Quando ſibi hoc jus Eccleſia aſſeruit contra exploratam majorum auctoritatem? Sed quid miror hæc commenta? Nam

&

& me, qui poſt religionem ſemper omnia ponenda duxi, hæreticorum fautorem contumelioſe appellat. Si quid mihi cum Vicecomitibus fuerit, divinare tamen non potui ab Eccleſia damnatos eſſe. Nemo enim certioravit. Impune igitur ignorare licuit, quòd etſi maxime ſciſſem, in crimen tamen imputari non poterat. Velim autem ſcire quibus aliis rebellibus adfuiſſe coarguar. Quare non nominat illos? qui ſint, unde venerint conjectura aſſequi mehercule non poſſum. Niſi forte appellet Eccleſiæ rebelles, quos imperii clientelæ obſtrictos nuper ipſe ſollicitavit ad defectionem; quique fidem ſervare maluerunt, quam infami proditione ad illum deſciſcere. Superiori anno cum miſiſſem in Italiam qui cum Cardinale Portuenſi de pace agerent, homo ille ſuperbiſſimus, certe turbulentiſſimus, legatos meos tam contumelioſe à ſe repulit, ut parum abeſſet quin rupto jure gentium læderentur muneris ſui ſanctitate inviolabiles. Poſthæc Mediolanum obſidere cœpit, redacturus in poteſtatem, ni obſtetiſſent iidem legati, quibus in omnem eventum præſidium militare adjeceram. Hæc ſunt ni fallor auxilia, in quorum ultionem conſurgit, ſceleriſque contagione pollutum infamat. Quidquid tamen feci, meum eſſe negotium credidi, imputaviq; imperio. Vicecomitum gratiæ nihil tribui. Nulla mihi cum illis amicitia eſt. Officii mei eſſe duxi Imperii urbem ex avaris hoſtium eripere manibus, ne cui alteri quam Imperatori cogeretur faſces ſubmittere. Quoniam vero Pontifex tam proterve mihi exprobrat hæreticorum tutelam, expendat, obſecro, & videat an non ipſe potius dicendus ſit fautor & diſſimulator hæreticæ pravitatis, quæ totam inficit turbatque Eccleſiam. Nuper cum Epiſcopi queſti eſſent in Romana curia ſecreta confitentium peccata à fratribus Minoribus in publicum proferri, violatoque Sacramenti ſilentio abſterreri homines à pœnitentia, non tantum Pontifex huic malo non ſubvenit; ſed infami tergiverſatione ſcelus diſſimulans, patrocinium tandem nocentium amplexus eſt. Sed quæ ad officium ejus pertinent, tranſeo. Nemo eſt tam ſtolidus qui non videat quid ille ſibi velit, & quo vergant hæc conſilia. Romano Imperio oblique imminet, ſub ſpecie juris quod à me protritum incuſat, ut cum alterum Chriſtianæ reipublicæ oculum effoderit, ſceptrum cum ſacerdotio confundat, ſua cuique fata diſtribuat, denique ipſe dominetur ſolus. Impreſſa igitur ſunt altiſſima vulnera quæ meo caſu Imperium obruent. Et ideo ab ejuſmodi edictis, miniſque, & terriculis non jure, non ſolemni ritu, non majorum more in caput meum intemperanter vibratis; præterea à tot importunitatibus & injuriis, quibus onerat innocentiam meam, famamque & exiſtima-

tionem ſuggillat, jure meritoque appello. Et ſi quis ſit qui Apoſtolos præſtare poſſit iterum atque iterum flagito. Sed quia Pontifex immoderatius uſus eſt credita poteſtate, omniumque intereſt, ne cum Imperio luctetur Eccleſia, nemo eſt qui ambigat in eam rem opus eſſe generali concilio. Petoque, ubi primum licebit, communi & idoneo loco citari patres ad conventum, ſpondeoque, me non abſuturum.

Hic libellus in populum ſparſus ad Pontificem quoque jam pervenerat. Nihil altius penetravit ejus animum, quam fratrum Minorum illata mentio cum dedecore ſui. Igitur acrius accenſus, lapſis induciis quas legatis nuper adjecerat x Kal. April. ad ſecundum pervenit edictum. Deinde v Id. Iul. tertium & peremptorium propoſuit: eoque pariter circunducto, Kal. Octob. affixo programmate anathematizatum eſſe Bavarum vulgavit, miſſo Ottone Carinthię antiſtite cum Lamperto Dominicani Ordinis Tholoſæ præfecto, qui deferrent in Germaniam exemplar, populumque arcerent à ſacris obedintem Ludovico.

At ille quoque cauſæ ſuæ non deerat, theologorum & juriſprudentium ſententias explorans, quos ea ætas noverat præſtantiſſimos. Academia Pariſienſis totum illum litis progreſſum nullius momenti eſſe cenſebat. Idem in Italia juriſconſulti reſponderant. cum his conſentiebant Germani. Quibus Cæſar admodum lætus deſtinari jubet reſponſorum exempla ad Septemviros liberaſque civitates, tradique famæ: quæ cito & opportune per omnem Germaniam diſſipata nutantem populum in obedientia continuit, notis in Cæſarem Pontificis odiis, pleriſque denique intonantibus actum eſſe de publica libertate. Pontificem Eccleſiaſtica poteſtate haut quaquam contentum meditari jam ſceptra & diademata, ut Germanico populo ſub illius ſuperbiam coacto ſacra & profana ſolus uſurpet. Cur enim Cæſari tantopere inſultaret? cur tot fulminibus illuderet immerenti? niſi quod ſub adminiſtratoris titulo machinetur invadere rerum ſummam. Huic rei nuper Eccleſiaſtica beneficia ad ſe traxiſſe, contempta electione cui ipſo jure obnoxia eſſent; habiturus nempe devinctos Epiſcopos in poteſtate, cæteroſque in eandem ſpem propendentes ad omne ſibi conciliaturus obſequium. Viſuros ſe propediem aboleri comitia, deinde Optimates triſtiſſimo ſydere inter ſe collidi, dum Eccleſiaſtici pro Pontifice, altioris vero ſanguinis Principes erubeſcent ſubeſſe Apoſtolicis legatis, nihil dignum tanto magiſtratui præter Ordinis purpurei dignitatem inferentibus. Occurrendum eſſe principiis, priuſquam latius ſerpat ambitio vetus malum, nec modum nec terminos ſciens poſtquam ſemel.

mel frænis exolutum eſt. Non deſciſcendum ab optimo Cæſare publicæ libertatis auctore. Nec Pontificis fulmina extimeſcerent. Vaniora enim ſapientioribus videri, quam ut hominum conſcientias illaqueent.

Hinc de anathemate varius ſermo inter prudentiores. Alii Pontificis ſententiam nullius eſſe momenti contendebant. Non habuiſſe enim illum juriſdictionem in res Imperii, functum eſſe accuſatoris partibus & judicis, dixiſſe jus in propria cauſa; & quidem adverſus abſentem, non rite vocatum ad defenſionem. Denunciandum enim fuiſſe Cæſari præſenti, vel ſi copia ejus non haberetur, ad domum. [a] Sed nec legitimum tempus præſcriptum eſſe intra quod ſe ad defenſionem inſtruere & judicio adeſſe, nec aptum locum ubi poſſet ſecure conſiſtere. Nam Avennionem Pontifici obnoxiam; quem ſcirent omnes capitali odio Cæſaris accenſum Romanumque Imperium armis perſequi. Exceſſiſſe igitur poteſtatem à ſacris canonibus ſibi traditam: & proinde non valere ejuſmodi execrationes [b] atque impune poſſe contemni. Nam quod ſancirent canones, ſervandam execrationis ſententiam ſive æquam ſive iniquam donec ſequeretur abſolutio, ita accipiendum eſſe ſi rite & majorum more judicatum eſſet ut ſententia valeret. [c] Cæterum hanc pronuntiationem nullius omnino eſſe momenti. denique factam poſt appellationem: quo caſu devotiones & interdicta nulla vi niterentur. [d] Fruſtraque è contra argui non recte provocari à Pontifice qui non agnoſceret ſuperiorem. Certum enim eſſe quoties convelleret jus divinum ſubeſſe generali concilio. [e] Subtraxiſſe illum ſubditos ab obedientia magiſtratus ſine juſta & canonica cauſa; idque pendere à Catholica fide, ac jus divinum impugnare. Alii vero maxime agitabant vetus argumentum, utrum ſcilicet tit[ul]um regni ejuſque adminiſtrationem ſola deferret electio. Pleriſque negantibus electionem ſufficere, niſi Pontificis confirmatio adeſſet, ſine qua nec juriſdictionem conſequerentur Epiſcopi [f] nec tutores pupilli legitimam adminiſtrationem. Imperatores eſſe tutores Eccleſiæ & à Pontifice confirmandos. [g] Non habendos igitur pro regibus, nec legitimam adminiſtrationem conſequi priuſquam acceſſiſſet auctoritas. E contra dicebatur: Pontificis & Imperatoris faſtigia nihil magnitudine differre à ſolo Deo utrique credita. [h] Illum quidem antecellere dignitate, propter ſacrorum eminentiam: [i] non præumbrare tamen alterius culmen. Vtrumque enim vires Numinis in terris ſuſtinere diverſa poteſtate, [k] quarum neutra penderet ab altera, [l] neutra ſuperiorem agnoſceret. Neque enim Imperatorem jura ſibi Pontificatus arrogare poſſe

a c. cauſam s. de appellat.

b c. ad quorundam s. de exceſſ. prælat.

c c. per tuas s. de ſent. excomm.

d c. cum olim abbas de offic. jud. deleg. d. c. per tuas & ibi gloſſ.

e c. Anaſtaſius & ibi gloſſ. diſtinct. 19. c. ſi papa diſtinct. 40. ſunt quidam cauſ. xvi. quæſt. 1.

f c. Niſi de elect.

g c. venerabilis de elect.

h c. ſi imperator & ibi gloſſ. diſtinct. 96.

i c. duo ſunt d. diſtinct. 96.

k c. quoniam diſtinc. 10.

l gloſſ. in d. c. ſi imperator.



ſe

ſe neque Pontificem jura imperii: [m] Et rurſus nec ab Imperatore appellari ad Pontificem: nec à Pontifice ad Imperatorem. [n] Electum igitur à Septemviris & regem eſſe & imperii adminiſtrationem conſequi priuſquam à Pontifice confirmetur, à quo gladium non acciperet. [o] Nam ſi Eccleſiam ipſe Pontifex ſtatim ab electione libere adminiſtret: [p] cur non & Cæſari Imperium quod ſit Pontificatu vetuſtius, ſoliſque olim militum ſuffragiis deferri ſolitum. Nullo jure aperte cautum eſſe opus eſſe Pontificis confirmatione, quod quidam fingere non erubeſcerent contra inſtituta legeſque majorum, quæ examen illi duntaxat deferrent [q] nempe an electus eo vitio non laboret quod canones indicant conſecratione indignum id multum à confirmatione differre. Confirmantem enim aliquid dare. Pontificem vero tantum detegere & ſignificare recte an perperam datum fuiſſet. Confirmantem denique in diſtribuendis publicis muneribus exercere actum imperii, quod non haberet Pontifex in Cæſarem. Et proinde aliam cauſam eſſe Epiſcoporum & tutorum qui ſubeſſent alienæ juriſdictioni. Præterea ab hac parte ſtare conſuetudinem etiam fateri illos, quos in contrarium conjunxiſſet opinio. At vero longe aliter diſſerebant qui præter juriſprudentiæ ſtudia altius reſpexerant in majorum hiſtorias. Ajebant enim majeſtatis Cæſareæ magnitudinem non æſtimandam eſſe ex Pontificum decretis. Nihil enim illis hac in parte inconſtantius, nihil incertius. Modo ſupra Pontificem imperatores extollere, modo longe infra deprimere, prout expediiſſet tempori ſervientibus. Recentiores conſtitutiones ambitu pleniſſimas, tunc maxime illuſiſſe Imperio, cum adverſus publicas injurias nemo ſe auderet invidiæ offerre. Nihil tamen faſtigio potuiſſe detrahi, inconſultis & invitis Ordinibus. Multa olim Pontificibus indulta ut paci & concordiæ conſuleretur. Nunquam tamen fando auditum, rite electos, Aquiſgrani coronatos, non habendos pro regibus, perperamque exercere potentiam, priuſquam Pontifex auctor fieret. Suppreſſa ſtirpe Caroli Magni ſolius populi conſenſum detuliſſe Germaniæ ſceptrum. Eundem morem poſteros ſervaſſe, quoad inſtituti Electores, quorum eſſet regnum dare, ut ſine his nihil rite ageretur. Manſiſſe tamen & tunc veterem conſuetudinem, qua cæterarum gentium exemplo, poteſtas ſtatim tota illi crederetur, quem in rerum humanarum verticem comitia extuliſſent. Quippe illos homines non fuiſſe laturos eripi ſibi hanc libertatem. Neque etiam deeſſe exempla. Albertum Auſtriacum à Bonifacio Octavo ex cauſa non canonica repulſum, rexiſſe habenas contumaci majeſtate, nemine actis ejus obſtrepente; denique

eodem

[m] *c. cum ad verum diſtinct. 96. & d. c. ſi imperator.*
[n] *c. ſi duobus de appell. c. cauſam quæ qui filii ſunt legit. c. novit. de jud.*
[o] *gloſſ. in d. c. ſi imperator.*
[p] *c. 1. diſtinct. 23.*
[q] *c. venerabilis de elect.*

eodem honore à ſuis habitum quo priores reges culti fuerant. Non eſſe in poteſtate Pontificis de faſtigio detrahere reges, pro libidine ſceptrum dare, vel eripere. Officium ejus hac in parte anguſtis eſſe limitibus aſtrictum. In ſchiſmaticos hæreticos & excommunicatos & ſacrilegos & ſi quæ ſint flagitia his ſimilia poſſe inquirere, [z] ne gratiam Spiritus ſancti conferret indigno, aut jurato hoſti committeret Eccleſiam. Has eſſe Pontificum partes: deinde ſi abeſſent hæc vitia, Electum coronare. Succeſſu tamen temporis guſtata ſemel dulcedine poteſtatis inter diſſimulantes Germaniæ Principes, vel terrore fulminum obniti non auſos, intendiſſe ipſos paullatim vim ſuam, ut ſero jam ſuſpiret propemodum ſub jugum coacta majeſtas. Ecce autem Clemens Quintus quam fœde nuper calcaſſet Imperium, commentus eſſe ſubjectum Eccleſiæ, & quoties interregnum eſſet adminiſtrationem rerum Pontifici deberi. Neminem tamen ignorare vacantis Imperii habenas majorum moribus illi deferri, qui primum dignitatis locum profanos inter Septemviros occuparet. Abhorrere à veterum canonum ſimplicitate ut negotiis Imperii ſe Pontifex ingerat, ſed ne quis eo nomine Clementi Quinto convitium faceret, accuſanda eſſe potiſſimum eorum ingenia, qui in imagine antiquitatis quam ex decretis hauſerant ſcrupuloſiſſime defixi, nec contemplantes mutationem temporum, ſenilem ambitionem ſtimulaſſent in hanc amentiam, ſuis ſcilicet ineptiis & ſollyciſmis excitaturi veluti è ſomno jus abſurdum. Transtulerit olim Pontifex Imperium à Græcis in Carolum Magnum, jurent Cæſares in Eccleſiæ verba, an ideo majeſtas ſubjicietur Eccleſiæ? Certum eſſe Carolum Magnum ejuſque poſteros Imperium poſſediſſe jure hereditario. Deinde annexum fuiſſe Germanico ſceptro, quo validioribus munimentis inſiſteret. Hinc duplex ſacramentum electos præſtare; altero, ſponſuros ſeptemviris, rempublicam ſalvam fore, altero Pontifici Maximo, ex fide ſe acturos Eccleſiæ tutelam. Nec id officere ſceptrorum libertati, vel Imperatorem deprimere in clientelam: ſed patronum Eccleſiæ defenſoremque facere. Olim Adrianum Quartum aſſerere auſum Imperium eſſe beneficium Eccleſiæ, eoque nomine acriter reprehenſum à Frederico Primo, diſertis verbis reſpondiſſe, uſum ſe vocabulo beneficii, non pro feudo, ſed pro benevola actione. Quid quantumque ſub titulo Imperii Carolo Magno contuliſſet Pontifex, adhuc quæri inter eruditos. Non potuiſſe tamen plus juris transferre, quam Græcis detraxerat. Germanos & Longobardos ſemper integros ab Orientali dominatu, non obveniſſe Carolo Magno ut partes Imperii. Inſediſſe enim utrumque regnum

[z] d. c. venerabilis.

gnum priuſquam ſpecioſo illo titulo excoleretur. Cæterum Ioannem Pontificem auxiſſe hæc commenta Clementino codice in publicum miſſo, ut aliqua juris imago accederet tantæ novitatis prodigiis. Progreſſum tamen illum longe ulterius. Contendere enim tunc etiam vacare Imperium, quoties imparibus ſuffragiis in contraria ſtudia Septemviri diſtraherentur. Quaſi vero in comitiis requiſitus eſſet omnium conſenſus, & non concors illa dicatur electio ubi major pars ab uno ſtetiſſet. Sane ſi reſpiciamus in leges, quod à pluribus decretum eſt perinde habendum eſt ac ſi ab omnibus decretum eſſet. Non nunc primum pro Imperio certatum. Lotharium habuiſſe Conrardum æmulum. Ottonem cum Philippo, Adolphum cum Alberto commiſſos. Inter Alphonſum Hiſpaniæ, & Richardum Angliæ reges diſcordaſſe ſuffragia; tunc tamen obtendiſſe neminem Imperium vacare, & gubernacula ejus ad Eccleſiam devolvi. Quin immo Lothario & Ottoni acceſſiſſe Pontifices, hac ſola excuſatione uſos quod à pluribus electos dicerent. Furere ergo Ioannem Pontificem immemorem ſui. Anathema ejus ſine juſta cauſa excuſſum non poſſe legitimum videri.

Hæc atque talia agitantibus forte ſuperveniunt qui miſſi erant execrationes vulgare. Ea res nova ſermonum materies fuit & acerrimam criminandi licentiam aperuit. Prodibant undique famoſi & atroces libelli. Intemperatiſſimus quiſque Pontificem traducere ducebat egregium: ut avarum, ut turbidum, atque inſatiabili cupiditate flagrantem faſtigiis illudere. Nec deerant qui tanquam hæreticum & impium differrent maledictis. Summa inde rerum turbatio fuit. Nemo Archiepiſcoporum, Epiſcoporum nemo Pontificiis parebat mandatis: præter Salisburgenſem & Paſſavienſem, quos victo Frederico iram prementes, vetus odium non deſeruerat. Conrardum Klingenbergium ad Friſingenſem mitram à Ioanne ſubvectum, canonici detrectabant in poſſeſſionem recipere, quod Pontificiarum partium haberetur. Mandatarii Pontificis ſine auctoritate: nunc huc nunc illuc ad ſacrorum antiſtites delati cum ſuis bullis in ludibrium venerant. Nemo Cæſarem ut fulguritum refugiebat, nemo amicitia ejus abſtinuit. Terror fulminis cunctis exciderat. Ipſi denique religioſorum Ordines proterva hac importunitate offendebantur. Soli Dominicani Ratisbonæ & Landtshuti occluſis templorum foribus, metuebant propalare ſacrificium. Sed irato populo ſtipem negante mendicantibus, ubi eſurire cœpiſſent cæterorum Ordinum ſecuti ſunt exemplum. Civitatum Imperialium multæ publicaturos Pontificia mandata ſuis territoriis exigebant.

gebant. Argentoratenſes denique excitato tumultu in furorem verſi ſacerdotem auſum templorum valvis affigere diploma, propulere in Rhenum flumen, ſcaphiſque ſecuti enatantem remis & contis mactaverunt. Dominicanos præterea rem divinam facere abnuentes urbe ejiciunt. Cæſar interim Coloniæ Agrippinæ ſolemniis intentus erat, quibus ipſe Margaretam Hollandam, & Otto Dux inferioris Bavariæ Richardim Iuliacenſis Principis filiam ſibi adjungebant matrimonio. Celebritatem nuptiarum quatuor Electores auxerant; Brandeburgenſis & cum Moguntino Trevirenſis; Colonienſis quoque cum Cæſare nuper in gratiam reverſus. Eoſdem deinde ſecum ad comitia pergere jubet quæ Ratisbonæ indixerat. Proficiſcenti autem Norimbergæ occurrunt qui inſignia imperii ipſi deferrent, à Leopoldo Auſtriaco miſſa; ut eo pignore Fredericus è cuſtodia redimeretur. Et quidem Cęſar lætiſſimo animo inſignia accepit, populoque veneranda expoſuit: negabat tamen ſe paſſurum de redemptione Frederici ſecum agi, priuſquam urbes Imperiales ipſius adhuc præſidiis occupatæ ſui juris relinquerentur. Iam Bohæmus quoque Ratisbonam pervenerat, cum aſſidentibus Principibus Cæſar oſtendit, peſſimis conſiliis graſſari Pontificem. Caput ſuum execrationibus devotum nullam aliam ob cauſam quam quod habenas legitimis ſibi Comitiis traditas extorqueri ab illo non pateretur, haut dubie Germanicum imperium ſubverſuro. Sed inverecundam hanc proterviam paſſim à prudentioribus damnari: à qua juſtiſſima cauſſa appellatum eſſet, eoque ſe habere in animo defenſionem dignitatis ſuæ ſceptrique libertatem ab indecoro ſervitutis jugo eripere. Veruntamen ut trepidæ mentes atque ipſe quoque Pontifex intelligat ex publico Ordinum decreto fieri, orare ut auctores ſibi adjutoreſque eſſent. Injurias enim illas non ad ſe quam ad ipſos pertinere, in quos ſecundum ſe reipublicæ cura potiſſimum recumberet. Hæc cum fuſe expoſuiſſet certatim omnes cenſuere tuendam eſſe Germaniæ libertatem, & pro publicis hoſtibus habendos qui Pontificia mandata in publicum emitterent. Itaque Toloſanus & Otto Imperii finibus exacti ſunt. Archiepiſcopus Salisburgenſis læſæ majeſtatis proſcriptus. Vlturuſque Cæſar contumacem, fines ejus hoſtiliter ingreditur, & Titmaningam inſtructiſſimam mœnibus expugnat. Non deerant per eos dies qui arbitria pacis ſuſciperent. Nam & Chriſtophorus Daniæ rex miſit Avennionem epiſtolas ad purpuratos ita conſcriptas. Ioannem Pontificem diffidere à Cæſare certa mihi fama relatum eſt. Ea res non mediocriter vulnerat animum meum. Vereor enim ne hæc diſcordia in detrimentum religionis exundet. Nam ſine

peri-

periculo animarum funeſtæ illæ rixæ exerceri non poſſunt. Rogo itaque Pontificem hortemini ad concordiam. Ego quoque non deero medium me diſſidentibus inferre. Nolite mirari quod pro Cæſare tantopere ſolliciter. Nam cum gnato ejus proxima mihi intercedit affinitas, cui filiam meam uxorem tradidi. Nec de Cæſare aliter ſentio quam de viro Chriſtiano ſentiendum eſt. Idque teſtatur ejus vita, atque opera pleniſſima pietate, denique fama aqud omnes æque propitia. Amore quoque publicæ tranquillitatis in hæc officia compulſus ſum ut mentionem reconciliationis ſubjicerem, quam futuram ſcio Eccleſiæ utiliſſimam. Valete. Satis conſtabat Pontificis acta pleriſque Cardinalium injucunda eſſe. Sed nemo contra audebat obſtrepere timentibus ſingulis palam improbare quod intra animum ſuum abominabantur. Victa denique erat conſenſu plurium diſſentiendi libertas.

*An.* M.CCC. XXV. Poſteaquam vero Pontifici relatum eſt quid decreviſſent ordines Imperii, primum admiratione attonitus, ægriſque oculis aſpiciens præcluſam ſibi viam ad rerum adminiſtrationem: dein temeritate in pudorem verſa, quod deprehenſa eſſent ejus conſilia, exiſtimavit tamen perſeverandum eſſe in exauctoratione Bavari, ne videretur cœpiſſe ſui cauſa. Itaque totus in id incumbere cœpit, ut Carolo Gallorum regi Imperium deferretur Septemvirorum ſuffragiis: inſtigante potiſſimum Leopoldo Auſtriaco qui reſtitutis Imperii inſignibus ſpe ſua fruſtratus, & frendens, credulas utriuſque aures vanis promiſſis impleverat. Nec ambitioni ſuæ deerat Gallus; ſpes & vota ſua inſinuans Principibus, quorum multos putabat ſibi acceſſuros; maxime Trevirenſem & Ioannem Bohæmiæ regem. Nam ſororem eorum ſecum matrimonio conjunxerat Henrico Carinthio olim deſponſam. Convenire debebant Septemviri cum multis Optimatum in arce quam Barum nominant inter regni Imperiique confinia, atque illic de ſumma rerum conſilia conferre. Sed Germaniæ Principes quod ſinguli promiſerant omnes omiſere. Nemo enim præter Leopoldum conſtituta die adeſſe ſuſtinuit. Abrupta igitur hac ſpe, nihilominus Pontifex incepta urgere non deſinebat. Moguntinum habebat ſibi chariſſimum. In pari gratia Colonienſis erat. Itaque Hoſpitaliorum Tholoſæ magiſtrum in Germaniam ire cum auctoritate ſinguloſque Septemviros ambire juſſit. Huic ſe applicuerant cum Leopoldo Auſtriaco regis legati. Iamque haut procul ab exitu ſtabant veſana conſilia. Res enim eo deducta erat ut ad Confluentiam comitia indicerentur. Cæterum Bertholdus Buchekius Teutonicorum Ordinum Confluentiæ Commendator à propoſito deterruit Moguntinum fratrem, dedecus

cus & periculum oſtentans quod in ſubvehendo Gallo imminere videbatur. Rem eſſe peſſimi exempli pudendam ſibi, reipublicæ exotioſam, dejicere Principes, & attollere, ex unius Pontificis libidine. Obtrudi reipublicæ alienigenam, cum quo nullum Germanis linguæ commercium, nulla vitæ conſuetudo intercederet. Suffeciſſe olim indigenas: & ſi exauctorandus eſſet Ludovicus, ne nunc quidem Germaniam adeo ægram, ut neminem ipſa ſuppeditare nequeat faſtigio dignum. Eſſe Gallo hereditarium regnum, publicaſque opes eo diverſurum à propiore cura Imperii ſubductum. Semper illas gentes emolumentum facere ſolitas ex aliena calamitate, animoque etiam nunc proſpicere qua ratione de Imperio delibare poſſint aliquid, quod gentili ſceptro adjiciant. Prudenter Bohæmum & Trevirenſem ab hiſce conſiliis averſos eſſe. Neque populum ad deſtituendum Ludovicum poſſe impelli. Favorem illi ex injuria, odium Gallo ex invidia, & hinc civile bellum oriturum. Turbato igitur Moguntino & cæteri deſiſtunt. Vbi tamen res emanare cœperat Ludovicus ſane graviſſime concuſſus eſt. Accedebat deinde & alius timor. Leopaldus enim fracta arma refovere cœperat, impetratis à Pontifice decimis Eccleſiaſticis quibus ſumptus in bellum ſufficeret. Arcem habebant Auſtriaci in Suevorum finibus. Burgovium nominant. Hæc potiſſimum idonea viſa unde hoſtilia inciperet, finitimoſque depopularetur, quo Cæſar tandem armorum tædio ſuorumque damno permotus Fredericum dimitteret in libertatem. Buchardus Ellerbachius loco præerat, promptæ vir audaciæ nec militarium artium inexpertus. Perditiſſimus quiſque rapinarum ſpe ad illum confluxerat. Itaque cum hac latronum manu in Sueviam prædabundus excurrens, vaſtabat omni clade imperiales civitates quæ ſacramento Cæſaris tenebantur. Iamque & Bavariam urere cœperat: cum Ludovicus obviam ire conſtituit opem illi pollicentibus quorum maxime intererat latronum illud receptaculum everti. Quadringentos equites ipſe confecit. His Auguſtanorum aliarumque civitatum auxilia in itinere adjunguntur. Wittenbergenſis denique & Helfenſtanius præter militem, tormenta quoque in obſidionem traxerant. Cæterum haut procul muro locatis caſtris, machiniſque ad ſubvertenda mœnia in conſpectum hoſtium expoſitis oſtentare bellum ſatis habuit iratus obſeſſos tanti apparatus metu deditionem facturos. Sed fortunam illi experiri decreverant, à Leopoldo admoniti ipſum cum mille octingentis equitibus & quatuor peditum millibus in tempore adfuturum. Marcebant interim Cæſareani ante mœnia; virium ſuarum fiducia ſocordes, hoſteque in con-

temptum verſo. Sed non Ellerbachius tam ſoluta cura agebat. Viſa hoſtium ſecuritate cæſis vigilibus perrupit in eorum ſtationes magnaque edita cæde, cum quadringentorum equorum præda in arcem recurrit. Quidam Cæſari magnopere ſuadebant, ut aggregatam lignorum ſtruem admoveret caſtello, flammamque ſubjiceret, adjuvante vento correpturam tectorum faſtigia. Sed minus hoc conſilium cæteris, quam Ludovico diſplicuit; qui natura ſua mitis & clemens negabat ſe facturum tantum facinus ut ſontes cum inſontibus ultimo ſuppliciorum conficeret, parum æſtimans omnem vincendi rationem honeſtam, nec aliter conſtare bellum quam ut in violentia urbium captivitate paucorum amentiam omnes luerent: denique quantum tædii in mora, & infamiæ ſi pelleretur. Hinc miles in caſtris fremere obſidionem de induſtria extrahi. Itaque multi petebant miſſionem, alii à manipulis dilabebantur. Anguſtani & ipſi faſtidio capti uno grege exercitum deſtituunt. Nihil horum fallebat obſeſſos, occultiſque nunciis Leopoldum edocent, ſi citus adveniret cum trecentis equitibus vel capi vel opprimi poſſe torpentem Imperatorem in ſuis caſtris, quæ multorum abceſſus laxaſſet. Ille nihil remorandum ratus citari ſtatim equites jubet & adeſſe ſibi in craſtinum. Forte tunc Burgravius Norimbergenſis apud eum diverterat. Is cum ſenſiſſet hoc agi, quæſito abeundi prætextu, non prius domum quam ad Ludovicum concitato equo proceſſit, ſuaſitque illi ut cito diſcederet, mox enim adfuturum Leopoldum cum armis quibus hærentem cogitaſſet opprimere. Hac voce conſternatus Cæſar, non dubitans vera eſſe quæ nunciarentur, collectis ſubito vaſis turbate ſe Laugingam recepit cum militibus, turpiter relictis machinis quas feſtinatio avehere prohibuerat.

Hæc obſidio quam temere protracta, tam fœde deſerta, præter Amphenſis victoriæ pollutam laudem, ærarium quoque Cæſaris exhauſerat. Neceſſitati tamen publicæ ſubvenere Iudæi, juſſi tributum conferre. Iuſtiſſimum viſum ab illis repeti Chriſtianorum ſanguinem quem crudeliſſimis uſuris exſuxerant. Sed expeditionis infamia nunquam expiata eſt. Quippe Cæſar verſare animo cœpit, quanto ſuo cum periculo Fredericus in cuſtodia retineretur. Quam prope fuiſſet ab exauctoratione? aut quem ſpondere poſſe Septemviros in fide manſuros? Suſpecta ſibi quorundam ingenia, quam facile nuper ex perfidia adacta eſſent in pœnitentiam, ita rurſus ex pœnitentia in novam perfidiam poſſe mutari. Eſſe ſe furori Pontificis expoſitum caput, in quod omnes Principes ad nocendum exſtimularet, inſtinctore

potiſſi-

potiſſimum Leopoldo Auſtriaco, turbido & feroci ingenio, nec quieturo donec captivum fratrem ad ſe receperit. Nunc iterum in ſe armari, nec minorem belli molem ſupereſſe quam ſit exhauſta, nec eas ſibi vires quibus ante vicerit; pleriſque amicorum vel ſuſpectis, vel cauſam ſuam disjungentibus parta ſecuritate, apud Burgoviam arcem propemodum dediſſe humanæ fragilitatis exemplum. Non immerito timere fortunæ inconſtantiam. Eandem licentiam, quæ Fredericum dejecerit, in ſe quoque poſſe uſurpare. Securitati igitur ſuæ conducere, ut captivo mitigetur. Illo enim libero nihil Leopoldum amplius moturum: nihil Pontificem, nihil factiones ejus nocituras in pace agentibus. Totam his ſpem in turbido ſitam: ut inter domeſtica & continua arma, ipſe in faſtidium veniens, immoletur publicæ paci, aut certe detracto diademate projiciatur in exilium.

Hæc & ejuſmodi ſecum exacta, cum paucis fidiſſimorum contulit, conceſſitque protenus in arcem in qua captivus attinebatur: exſtimulante potiſſimum Carthuſiano monacho cui à ſacris confeſſionibus aſſueverat. Fredericus animo æger & diuturno carceris ſquallore propemodum confectus erat. Poſtquam illi nunciatum eſt Cæſarem adeſſe, horrere cœpit ne quid durius in ſe decreturus veniſſet. Vbi vero ultro invitaretur ad concordiam, ſubita perfuſus lætitia, ita cum illo locutus eſt, ut facile appareret non abhorrere à conditionibus pacis, quas graviora timenti Cæſar obtulerat. Nihil durius imponebatur quam quod jubebatur ejurare Imperium. Sed per fortunam recuſare non poterat. Vbi ergo in hoc conſenſum eſt, proximum fuit quærere, qua ratione Cæſarem eo nomine ſecurum efficeret. At hanc rem, & quidquid præterea exigebatur, Bertholdus comes Hennenbergius & Dietrichus Pilichtorferus Auſtriæ Mariſchalcus juſſi ſunt ex arbitrio componere, inſtar ſequeſtrorum utrimque delecti. Illis auctoribus leges dictæ & in tabulas relatæ ſunt, quarum hæc eſt ſententia.

Fredericus Dux juri, ſi quod ad faſtigium habet renunciato. Electionis ſuæ tabulas (ſi tamen aliqua Electio dicenda ſit) Ludovico Regi tradito. Eodem ſuperſtite ne ambito regnum: vocatus ultro etiam ſollicitante Pontifice nuncium remittito.

Quidquid Fredericus Dux ejuſque fratres ab Imperio avulſum occupant, vel pignori ſubjecerint, reſtituatur in integrum.

Auſtriacis fratribus cum Ludovico Rege ejuſque liberis eſto æternum fœdus; eſto armorum ſocietas adverſus quoſcumque ſive profanos ſive Eccleſiaſticos, & nominatim contra Pontificem ejuſque fau-

 tores,

tores, quamdiu Ludovico & Imperio perſeveraverunt eſſe infeſti. Dux Carinthiæ, & quatuor ejus conſiliarii præcipui: item Rudolphus Comes Hohonbergius, Hugo Comes Brigantinus, Albertus Comes de Sancto Monte, Comes Schebbettingus, Rudolphus & Heſſo Marchiones Badenſes, Comes Fuſtenbergius, & Otto Ochſenſtainius ſacramento promittant, militaturos ſe bona fide cum Cæſare in fratres Auſtriacos tranſgredientes fidem conventionis. Idem juramentum præſtanto duodecim Sueviæ & Alſatiæ Stiriæque magnates.

Auſtriaci fratres, Dux Carinthiæ & ſupradicti Comites, quidquid jure beneficii poſſident, à Ludovico Rege in clientelam accipiunto. Eundem pro Rege habento. Honorem illi & reverentiam majorum more præſtanto. Vt idem faciant quicumque partes ipſorum ſecuti ſunt, curanto. arma inferunto abnuentibus.

Fredericus Dux Eliſabetam filiam Ludovici filio Stephano deſpondeat. Bertholdus Comes Hinnebergius cum Burgravo Novembergenſi dotem puellæ conſtituant. & donec ea repræſentetur Burgovia & Riſeburgum pignori ſunto. Parentibus è medio ſublatis, utriuſque liberi pacem colant. Sed ſi Fredericum fata Ludovico ſuperſtitem fecerint, & ſuccedat ipſe in faſtigium, feuda Imperii Ludovici Regis liberis debita, & nominatim Marchionatum Brandeburgenſem tradat illis in clientelam. Si vero alius Imperium exceperit in feudorum ſuorum tutelam mutua conferantur auxilia.

Quidquid Auſtriacis fratribus ab anterioribus Imperatoribus oppignoratum eſt, ratum maneat.

Nemini fraudi eſto ſtetiſſe in partibus. Injuriarum meminiſce ne liceto. captivi utrimque dimittuntor.

Hæc conventio anterioribus pactis ne derogato. In has leges Fredericus Dux ſacramentum dicito. Pactis ſtato vel redito in carcerem.

Hæ tabulæ ab Hinnebergio Comite & Pilichtorfero conſignatæ ſervantur in archivo Bavarico adhuc incolumes. ut proinde mirum videri poſſit tradidiſſe quoſdam, æquatum fuiſſe jus & nomen regni inter paciſcentes. Quaſi unum & indiviſum regnum caperet duos, non deſtructuros mutuam poteſtatem. Sed tam incondita adulatio, ſeu vana credulitas ut poſſit ſperni, diplomatum tamen fides non debet.

Fredericus his legibus dimiſſus non ſtatim abrupit fidem. Quippe ad ſinceræ benevolentiæ affectus Ludovici humanitas ſtupentem compulerat. tantaque familiaritate ambo principes ſe mutuo complexi ſunt, ut inter amicitiæ prodigia numerarentur. Acceſſit huic benevolentiæ

lentiæ nova affinitas. Quippe Otto Frederici frater pactam ſibi olim Eliſabetam Bavaram, ac dilato in pubertatem matrimonio tunc quidem uxorem duxit ut eo quoque caritatis vinculo principum concordia niteretur.

At non Leopoldus Auſtriacus bona fide pacem cuſtodiit. Nihil in Cæſarem aperte auſus, ne videretur peccare in fœdera, amicos ejus vexare cœpit, tanquam ipſe pacis legibus non prohiberetur meminiſſe injuriarum, privataſque inimicitias ferro proſequi. Alſatiæ Landgravius Ludovico chariſſimus erat in paucis, cui Leopoldus facturus aliquid quod dolere poſſet, ſancti Hippoliti oppidum capit mœnibuſque denudat. Inde ſtatim Spirenſes obſeſſurum morbus corripuit. Necdum autem procurata valetudine iter pronunciare juſſit; cum amici deterrere illum cœperunt à tam præcipiti conſilio: medici præcipue periculum eſſe affirmantes ne caſtrenſibus laboribus & incommodis illuderet vitæ ſuæ. Sed ferox & obſtinatus animus velut impellente fato inhiberi non poterat. Nulla erat urbs in quam majore ira ferebatur. Iam bis fruſtra obſederat. Multa illi damna oppidani, & viciſſim ipſe oppidanis intulerat. tantoque eorum odio flagrabat, ut perire ſe, quam non perdere illos præoptaret. Admota igitur mœnibus obſidione, afflicta valetudo graveſcere cœpit; adeo ut juberetur à medicis Argentinam referri. Huc cum perventum eſſet ſtatim in furorem incidit, deinde & extinctus eſt. Sane reipublicæ interfuit diutius in vivis non eſſe. Illo enim auctore ſopitum in bellum reſurgere poterat. Vir enim fuit pacis impatiens, audax promptuſque bellator, ſed in fratrem pietate eximius. Multa tamen circumferuntur quæ magnitudini famæ labem imponant. Ajunt enim ante obitum in furorem actum nefandi & terribilis genii aſpectu, quem ſuis, ipſe oculis à mago quodam offerri voluerat. Denique ejuſdem magi improbis artibus tentaſſe fratrem eruere è carcere. Alii tamen hoc flagitium Frederici uxori imputare maluerunt, optimæ alioqui ſanctiſſimæque matronæ, tantoque amore in maritum, ut fortunæ ejus intolerans oculos ſuos corruperit fletu. Et proinde credat hæc cum magis commercia quiſquis volet: ego tamen non ſatis ad verum exacta exiſtimo, maloque imputare ſimplici monachorum genio illius ſæculi, multa alia & frigidiora fabulantium, quam de Principibus perperam judicare. *An. MCCC. XXVI.*

At vero Italia pacis guſtu reſpirare incipiens, in novos tumultus novumque bellum exarſerat. Initio orto à Caſtrucio Lucenſium rectore, qui proferendæ dominationis cupidine viciniæ gravis, Florentinos

tandem eo deſperationis adduxerat, ut & Pontificis & Roberti Regis opem implorare cogerentur. Et quidem Rex periculo eorum motus Carolum filium Calabriæ Ducem proficiſci illico juſſit cum militibus oppido futurum præſidio. At vero Pontificem plurima angebant. Afflictæ in Etruria partes, Inſubrum etiam animos erexerant in ſpes novas. De Romanis quoque ſecurus non erat. mutandis rebus ſtudere credebantur. Monuerant illum rectores urbis frequentibus litteris ut referret Apoſtolicam ſedem. De ſolitudine urbis queri multitudinem. agitari in frequentes tumultus. neminem adeſſe tanta auctoritate qui furentem poſſit comprimere. timendum eſſe ne aliquando uno impetu ad Gibellinos deficiat. At ille immotus adverſus iſta & in priſtina redeundi ſimulatione perſeverans, novas copias in Gallia contrahebat quibus vel Caſtrucium ſubigeret in Etruria tonantem, vel averteret à Florentinorum cervicibus Robertum quoque regem acerrimis delectibus incumbere juſſit. Ad ſuſtinendos autem belli ſumptus decimas in Gallia à ſacerdotibus exegit, ita concedente rege, ut dimidia portio ipſi cederet. Ne quis autem moveretur hac novitate, utque ſine ſuſpicione eſſet belli ſacri auſpicia prætexebantur. Nam & claſſem ſimul inſtruebat Pontifex dabatque famæ, & vulgo credebatur regem hoc apparatu adverſus Lituanos uti velle.

Cæterum Gibellinis notum erat Pontificis ingenium atque omnia hæc ſuſpecta videbantur. Itaque & ipſi intenti ad res ſuas novis inter ſe fœderibus coëunt legatoſque dicunt in Germaniam Ludovicum Cæſarem in Italiam ſollicitaturos. Et quidem Cæſar legatos benigne accepit, ægre tamen conſentiebat in expeditionem, comperiſſe ſe dicens quoſdam principes calcato Imperii obſequio defeciſſe ad Pontificias partes, qui tantis rebus impedimentum adferre vel certe moram injicere meditarentur. Galleacium Vicecomitem oblique perſtringens, quem Marcus frater miſſis litteris criminari cœperat. Cumque legati ſancte confirmarent nullum tale facinus à quopiam profectum. Bene eſt inquit, ſi in eo ſtatu res ſint, maturato adero cum armis, ut Imperii jura afferam, parceque ſtabilita fideles clientes honoribus exornem. Vix hanc legationem abſolverat: cum à ſenatu populoque Romano miſſi ſuperveniunt. Petebant illi ut coronæ gratia Romam accederet. Diceres ex compoſito factum. Et ſane crediderim communicata inter eos conſilia. Multi enim in Vrbe erant partibus, obnoxii. Pleriſque etiam Pontifex in faſtidium venerat promiſſum toties reditum contumaci abſentia cavillans. Dimiſſus igitur & his legatis cum muneribus & promiſſis, Cæſar Spiræ comitia habuit. Ibi cum & ſuum

ſuum & populi Romani deſiderium expoſuiſſet, prono omnium aſſenſu in ſequentem annum expeditionem indixit.

Celeriter ea fama ad Pontificem delata eſt; qui non defuturus rebus ſuis Ioannem Cajetanum Vrſinum ſancti Theodori Cardinalem Etruriæ præfecit, Serram Columnam fidei admonuit. Roberto autem regi mandavit, ut Romano Vrſino Comiti Nolano & Richardo Frangipani crederetur urbis tutela cum ampliſſima poteſtate. Denique Wladiſlaum Lecticum Poloniæ Ducem avulſurus à corpore Imperii, miſſo diademate regem appellat; fide accepta, quod in tanti beneficii gratiam propelleret ille in provinciam Brandeburgenſem Lituanos, qui Cæſarem detinerent in Germania occupatum domeſtico bello. Cæterum Lituani ea tempeſtate Chriſtiana ſacra necdum acceperant, cum Teutonico Ordine continenter bellare ſoliti. At tum quidem Pontifex Magiſtrum Ordinis ad duorum annorum induceas compulerat, quo liberius barbari graſſarentur. Nihil hac gente crudelius, nullum ſævitiæ genus omiſſum quo impietatem ſuam proderet pervicaxque odium in Chriſtianos. Sævire in monachos, expilare monaſteria, ſacris illudere, ecce Chriſtianorum Deus ſcurriliter fractis exprobrare imaginibus. Non minore furore profana rapiebantur. hic pollutæ ſtupro virgines corporum ludibria deflebant. illic à liberis abſtracti parentes, uxores à maritis deductæ per cæſorum cadavera in ſervitutem rapiebantur. Vna fertur virgo præclarum edidiſſe virtutis exemplum. Nam ut pudicitiam ſuam ab extorquentis barbari libidine rediimeret, tradidit illi pixidem ad curanda vulnera ceromate plenam, aſſeverans eſſe exploratiſſimum remedium, quo ad omnes telorum ictus impenetrabilis redderetur. eodem deinde oleo cervicem delibutam præbuit credulo, ut feriret in experimentum: amputatoque capite in terram decidens generoſæ mortis ingenioſo conſilio ludibria captivitatis evaſit.

His per Germaniam ſparſis ingens horror omnes inceſſit: maxime vicinis metuentibus, ne ad ipſos quoque tranſiret incendium. Poſtquam autem reſcitum eſt Pontificem eſſe calamitatis auctorem, immane quanta illum invidia mundaverit. Onerabatur paſſim execrationibus ac maledictis; inclamante populo indignum eſſe, à quo Eccleſia regeretur. Anteceſſores ejus interdixiſſe ſacris Imperatores cum arma in barbaros ferre detrectarent: ſollicitare illum barbaros in Chriſtianorum excidium. Iret nunc, & Cæſarem, ſi diis placet, proclamaret hæreticum tuentem jura majeſtatis: cum ille contra muneris ſui ſanctitatem cum impiis miſceret armorum conſilia. Si alius quiſpiam

hoc

hoc peccaſſet quis impenſius ipſo vindicare debuerat? Ergo iras ſuas aliter exercere non potuit, quam ut tot innocentium ſanguine, tot millium captivitate ſe exſatiaret? Sane haut falſo jactari male illum de religione ſentire, qui monaſteria & delubra proderet barbaris in ſpolium ipſiſque adeo numinibus bellum inferret.

Sic igitur Pontifex dum ſecuritatem ſibi parare vult, nihil præter odium atque infamiam reportavit. Nam nec Cæſar ideo abſtinuit cœptis. ſed barbaricum bellum delegans Ioanni Bohæmiæ regi, comitatumque ac milites & quidquid præterea itineri opus erat ſedulo inſtruens, Gibellinorum principes admonebat ut Tridenti præſto eſſent cum copiis quas in commune bellum condixerant.

Interea Pontifex militem navigiis impoſitum in Italiam ſolvere juſſerat. multa cum admiratione eorum qui de barbaris præceperant ultionem. ſuſtinebantque etiam quidam indignari, quod claſſis in ſacrum bellum ut credebatur à rege ornata, Pontificiis artibus in Chriſtianorum ſanguinem inde averteretur. Cardonius autem exercitui præerat. Is ad Telamonem appulſus expoſitis in terram militibus: copiiſque auctus quas Robertus rex adduxerat, quaſque Florentini confecerant, proceſſit in hoſtem; Caſtrucius continebat ſe intra vallum quod ad Phocenſes paludes eduxerat, donec Azonem Galeacii filium ad ſe reciperet, cum ſexcentis equitibus iiſdemque Germanis à patre miſſum. Tunc demum in campum progreditur, acrique prælio Pontificios profligat, Cardonio capto. Rumor fuit, potuiſſe eo die Florentiam capi ſi Guido Tarlatus Aretinus epiſcopus cum ſuis copiis properaſſet accedere. Et ſane Caſtrucius fidem ejus ſuſpectam habuit.

Fama tam opportunæ victoriæ magna quoque lætitia Cæſarem implevit. Videbat enim proſtratas vires, rebus ſuis injecturas moram, credebatque ſe impoſterum non habiturum ex hoſtibus qui imperiis ipſius intercederent.

An. MCCC. XXVII. Ergo Tridentum proceſſit, ſtipatus magna procerum turba, & centum cataphractis quos in cuſtodiam corporis aſſumpſerat, cæteris militibus ſubſequi juſſis. Oeneponti autem Fredericum Auſtriacum obvium habuit. Cauſa & colloquii ſumma edita non eſt. Receſſere tamen infenſis animis. Crediderim Frederico exprobratam violati fœderis inverecundiam; qui privatæ ſortis impatiens, indomituſque animo ejuratum Regis nomen reſumpſerat. Tridenti autem Gibellinorum Principes ad Cæſarem perveniunt cum ſuis quiſque turmis ut juſſi erant. Galeacius Vicecomes inſtruendæ pompæ Mediolani intentus Azonem filium præmiſerat cum ducentis equitibus. Guidonem

Tarlatum

Tarlatum Aretinum epiſcopum totidem ſequebantur. Paſſerinus Bonocoſſa & Canis Scaliger octingentos habebant. Præter eos Ponzinus Ponſo, Rainaldus Eſtenſis, legati Cararienſis, & Caſtrucii & Frederici Siciliæ Regis non paucos adduxerant, quorum numerus initus non eſt.

De ratione belli conſultantes acriter in Pontificem invecti ſunt. Hominem eſſe ingenio turbulentum, inſatiabili cupiditate, potentiæ avidum. Nunc in Cæſarem nunc in cæteros Principes fulminibus debacchari, quod libidini ejus adverſarentur. Concitare in eoſdem Chriſtianum orbem tanquam ad ſacrum bellum. Stipendia, indulgentias, cœlumque ipſum promittere armatis. extorquere decimas ab Eccleſiaſticis non aliter ac ſi deturbandus eſſet aliquis è Syria Soldanus. Accitos in Germaniam barbaros qui templa everterent, ſacra profanarent, & in Chriſtianorum ſanguine volutarentur. Bellum ex bello ſerere. miſcere omnia diſcordiis turbiſque. Abſtuliſſe canonicis jus electionis, ut eccleſiaſtica beneficia haſtæ ſubjiceret. Subverſa anteceſſorum ſcita, damnatam Chriſti paupertatem, ne quis eſſet qui avaritiam illi merito exprobrare poſſet. Nullam Eccleſiæ tranquillitatem, nullam pacem Italiæ redituram, niſi in Apoſtolicam ſedem alius ſuccederet, unde ille jure excidiſſet.

His & ſimilibus in conventu publico jactatis, cui etiam (ſi Cavitello credimus) tredecim epiſcopi intererant, futuri ſchiſmatis initia ſtruebantur facem præferentibus Marſilio Patavino & Ioanne Ianduno de quibus ante dictum eſt, miro denique in Pontificem cæterorum odio; cui petulantibus facetiis Prete-joannis nomen indiderant: quod eo vocabulo indigitari ſoleant Abyſſinorum reges, qui regnum ſimul & Pontificatum exercent.

Sed hæc conſilia propemodum turbavit Canis Scaligeri importuna ambitio; cujus ratio paullo altius repetenda eſt. Patavienſes (uti dixi) à Frederico Auſtriaco in ſinum tutelamque recepti, nihilominus à Scaligero premebantur aſſiduo bello. Regebat eos Henricus Carinthius à Frederico impoſitus, qui Conrardum Aufenſtainium armis optimum in ſuum locum ſubſtituerat. Ad extremum tamen compellente neceſſitate, Carinthius ipſe cum validâ manu in Italiam deſcendit ſecum habens Ottonem Auſtriacum volutantem ſe quoque in omnes partes, ut ex turbatis Italiæ rebus fortunæ aliquod incrementum auferret. Sed in ſtipendiorum inopia tam graves eſſe ſociis cœpere, ut plerique conquererentur, dicerentque ſatius eſſe morderi à Cane quam à Germanis devorari. Cæterum poſt Tranſuitiam tranſactio-

nem jurgia quoque componi placuit quibus duo iſti Principes pro dominatione unius civitatis ſeque & Italiam cruciaſſent tot annorum veſana diſcordia. Itaque Ludovicus Cæſar & Fredericus Auſtriacus arbitri utrimque delecti ſunt. Hi vero inter alias leges pacis tulere, ut Carinthio relinqueretur Pataviensis præfecturæ indubitata poſſeſſio, magno quidem dolore Scaligeri; ſed pudebat illum refragrari arbitrio, in quod ſponte conſenſerat. Iam vero in Tridentino conventu, ſopitam litem refricare cœpit, præfecturamque repetere incondita flagitatione oblatis ſexaginta aureorum millibus. Miratus Cæſar improbitatem intempeſtivi deſiderii, ſe quidem ipſi omnia debere reſpondit, cæterum id quod peteretur ſine Carinthii injuria non poſſe indulgeri. Tum ille iratus & frendens minatur ſe tranſiturum ad Pontificias partes: ſimul conventum relinquebat, ac Veronam pergere inſtitnit. Aſſecuti tamen amici ſeu ſua ſponte, ſeu juſſu regis abeuntem pervicere permulſum mitibus verbis ut reverteretur. Sane viſo eo Cæſar exhilaratus eſt, excepitque intrantem blandiſſimo vultu. quippe tali tempore alienare à ſe non poterat aucturum conſilia hoſtium & vires.

Tertio Id. Mart. Ludovicus Tridento abcedens, Margaritam uxorem Comi habuit, quæ diverſo itinere in Italiam pervenerat. Illo quoque Galeacius Vicecomes Cæſari occurrit gratulaturus adventum cum donis. Is, uti dictum, à fratre Marco & Leodriſio patruo olim inſimulatus, tunc ab iiſdem in ſecreto reus agebatur. Arguebant illum diſſimulata perfidia ad Guelfos accedere. Tranſiſſe in Pontificis clientelam fœderibus ictis. Cardonium ſimulata fuga demiſſum è carcere, ut eo duce novus hoſtium exercitus in Italiam deportaretur. Nunc quidem iſto victo ſimulare obſequium: redituram tamen ipſi fiduciam, ſi quidquam Cæſari ſiniſtre obvenerit. Hinc enim armis ſtare, illinc animo, ut in abſolutum dominium, quod à Cæſare conſequi non poſſet, vana Pontificis promiſſione non contentus in ſecundis conſiſtere aſſurgeret. Æquum fuiſſe in fortunæ ſocietatem recipi fratres, quorum armis & virtute aſſerta eſſet provinciæ ſecuritas, in qua nunc ille tyrannidem exercet; ſed tantam morum ſuperbiam, erectumque ſupra Cæſarem ſupercilium, parem ferre non poſſe, totumque fructum communis victoriæ ſibi uni adſcribere quem cum propinquis partiri debuerat. gravem civibus, gravem libertati nihil civile aut modicum cogitare. Satis apparebat invidiam eſſe, quæ ad criminationem compulerat arctiſſimo ſanguinis vinculo conjunctos. Non ſpernenda tamen Cæſar ratus, quæ necdum conſtabat falſa eſſe, Mediolanumque

feſti-

feſtinans, cogniturum ibi cauſam dixit. Galeacius, nunciantibus ſuis quæ parabantur: ite inquit, renunciate fratri, ferrum quod in me acuit, in viſcera illius, eſſe rediturum: nihilominus tamen, ægritudinem animi vultu diſſimulans, ingenti pompa intrantem Cæſarem Mediolani excepit. Non minus ſedulus in adornandis iis quæ coronationis auſpicia decere videbantur.

Quippe priſca conſuetudine invaluerat, ut inaugurandus Romæ Imperator, ferream coronam Mediolani præciperet, quam olim Longobardorum regina Theodolinda loco diadematis eſſe voluerat: nunc Italici regni inſigne. In hæc ſolemnia Pentecoſtes dies indictus erat, fervebantque interim omnia paratibus, quibus pompa ad magnificentiam adornaretur. Deſignati ſunt tres epiſcopi qui inaugurationis ſacra facerent, Aretinus, Tridentinus & Brixienſis. Quippe Archiepiſcopum Mediolanenſem, cujus erat hoc munus, Gibellinorum factio expulerat, quod ſtudere Guelfis crederetur. Iamque aderat deſtinatus dies, quem præter ſpectaculorum elegantiam, multorum principum interventus celebriorem fecit. Nominatim autem interfuiſſe comperio Rupertum & Rudolphum Bavariæ Duces, ac Ludovici nepotes ex fratre, Hermannum Lichtenbergium Cancellarium Imperii, Henricum Ducem Brunſwicenſem, Ludovicum Ducem Teckenſem, Albertum Lichtenbergium equitum Magiſtrum, Henricum Landtgravium Alſatiæ, Fredericum Burggravium Norimbergenſem, Menhardum Ortenburgium, Guilielmum Montfortium cum Magno Teutonici Ordinis Magiſtro. Et hi omnes Germani. Ex Italis vero Vicecomites Mediolanenſes, & cum Cane Scaligero Marchiones Eſtenſes, & Paſſerinum Mantuani filium.

Perpetratis his ſolemniis aliquot dies quieti dati. Iuſſus eſt deinde Galeacius aurum coronarium inferre. Centum & quinquaginta aureorum millia Tridenti ſpoponderat filius ejus. Nec promiſſa pater abnuebat. Sed in hoc rerum articulo non audebat civibus tributum imponere, quos noverat à ſe averſos eſſe ob præteritorum onerum magnitudinem, & in ſpem libertatis à fratre propulſos. Itaque Cæſari renunciari juſſit, populo ſe pecuniam imperaturum, quando è re ſua videretur. Debuerat certe reſpondere modeſtius. Sed in tantum faſtum ſe extulerat, ut Cæſarem quoque velut clientem & ſtipendiarium ſperneret. Homines enim qui ſe permiſere fortunæ ad ultimum etiam ſui obliviſcuntur. Duodecim centurias equitum habebat in poteſtate: opulentia domi ſuper regiam magnificentiam, & quoties in publicum progrederetur, antecedentium pompa & ſatellitum ordo

major, quam præfecti menſura caperet. Hinc illi arrogantia creverat, & contumacia in majeſtatem, quam fœdiori contumelia nuper laceſſiverat. Forte enim Cæſar excitari juſſerat pontem, commiſſurus foſſas civitatis, unde ipſi liber in urbem pateret introitus egreſſuſque inter ſuorum præſidia. Hoc ille opus ſequenti nocte deſtruere ſuſtinuerat: multum indignante Ludovico; qui ſuas iras premens animo, apud ſe tacite conſtituit tumentis potentiam ſenſim infringere, ac deinde nudatum viribus excutere de fortuna. At Canem Scaligerum non latuit Cæſarem offenſum eſſe. Quapropter ab eo petere cœpit, ut Mediolanenſis ditio ipſi crederetur. Dimiſſuſque cum bona ſpe, Marcum & Leodriſium ad ingeminandam accuſationem exſtimulat, Galeacium affirmans ſtare in lubrico, facilique impetu poſſe depelli. Erexit ea ſpes delatorum animos, matura eſſe fata arbitrantium. Itaque Cæſaris aures rurſus occupant: haut neſcii, quantum ea criminatione ſibi nocerent, ſed melioribus conſiliis invidia obſtrepebat. Ludovicus quidem reſpondit accuſantibus, facturum ſe quod è republica videretur. Cæterum præfectos Germanorum, qui ſub Galeacio ſtipendia faciebant, clam accitos ad tranſitionem promiſſis ſollicitat. Mutavere illi fidem cum militibus: & quidem priori ſacramento promptius quam aut Ludovicus ſperaverat, aut Galeacius crediđiſſet; qui recedentis fortunæ ominibus æger trepiduſque, & inops conſilii, tandem ad nefarias artes confugiſſe traditur. Fratrem habebat nomine Stephanum minimum natu. Is inter miniſtros Cæſaris receptus erat, potioneſque ejus prægustare juſſus, repente corruit. Lapſi ſtatim ſunt in ſuſpicionem omnium animi. paullo poſt cum referretur exſtinctum eſſe, nemo fuit qui dubitaret veneno ſublatum, quod jubentibus fratribus miſcuiſſet Ludovico. Ergo inter tot perfidiæ veſtigia, jam quoque vitæ ſuæ Cæſar timens, conſtituit ſe de illis vindicare. Sed quia palam ſine tumultu comprehendi non poterant, fallacia viſum eſt opus. Advocavit igitur in conſilium Optimates cui etiam Galeacius cum Azone filio Lucinuſque & Ioannes Vicecomites adhibiti ſunt. Ibi cum potiora quædam acta eſſent, juſſi ſunt Vicecomites pauliſper ſecedere, tanquam aliquid faciendum occurreret, quod ſcire ipſi non deberent. Albertus Lichtenbergius equitum magiſter manebat ante veſtibulum: egredientes, atque in proximum conclave velut honoris cauſa abductos, cuſtodiâ circundat. Miſſi deinde qui Modœtianam arcem à Galeacio repeterent, denunciata morte niſi intra triduum dederetur. Territus ille ad imperium, præſentiſque fortunæ neceſſitatem æſtimans, Cæſari parere conſtituit, protinuſque

ſcripſit

ſcripſit ad præfectum, ut cum præſidio ab arce recederet. Sed hæc epiſtola admodum ſuſpecta Præfecto erat. Nam de captivitate domini necdum invaluerat rumor. Veritus igitur quæſitum fraudi locum eſſe qua munimentum ſibi à Cæſarianis interciperetur, contumaciter imperata detrectat, nulliſque nunciis ad deditionem flecti poterat. Ipſam denique Beatricem Galeacii conjugem, cum Richarda filia preci buſque & lachrymis obteſtantes à ſe repulerat: cum ad ultimum dubitatione exempta, ſaluti domini traditione conſuluit. In eadem arce Galeacius adhuc triennio ſtruxerat carcerem, in quo novarum rerum ſuſpecti, exilio ante plecti ſoliti, perpetuo torquerentur captivitatis ſupplicio, nominabantque furnum, appellatione tracta à ſimilitudine: ex tunc vaticinante populò futurum illum primum qui in tyrannidis ſuæ monumento defoderetur. Et verum omen fuiſſe apparuit. Lucino & Ioanne Vicecomitibus in cuſtodia retentis, Galeacius & Azo perfidiæ rei in præparatum perfidis detruduntur hoſpitium: quos Ioannes Richichius arci præpoſitus duriſſime habitos, prope ipſa captivitate moleſtius afflixit. Poſthæc Cæſar Mediolanenſes liberos eſſe juſſit. Quatuor & viginti tributim lecti qui adminiſtrationi reipublicæ admoverentur. Guilielmus Montorfius præfecturam urbis accepit cum juſto præſidio. Cives in ſtipendium militum pecuniam conferre juſſi, obedienter imperata fecere. Amor enim libertatis omnium animos lætitia perſtrinxerat. His ita ordinatis Vrſcos oppidum Brixienſis territorii Ludovicus adiit. Illic enim Principes ſuarum partium convenire debebant ad conſilia, quibus etiam magiſtratus civitatum, cum decurionibus intereſſe voluerat.

Quippe Vicecomitum calamitas ſiniſtre accepta, adverſo rumore differebatur, parique metu omnes implebat. Stupebant Principes horrore correpti, ne ad ipſos quoque perveniret exemplum. Interque ſe muſſantes quærebant, quodnam eſſet Galeacii delictum; vanis ſuſpicionibus adhuc urgeri; & ſi accuſare ſufficeret neminem apud patentes & credulas aures innocentem futurum: Quid tamen attineret Ioannem & Lucinum reos facere? auctores ſcelerum ſupplicia non egredi; ſuo quemque peccare periculo. At vero magiſtratus decurioneſque & quibus aliqua reipublicæ cura, mutationem ſtatus verebantur. Nullam enim aliam cauſam ſubeſſe credebant propter quam tam atrociter Vicecomites plecterentur, niſi quod Cæſar aſſerere vellet in libertatem civitates, exacturus à populo liberius tributa tantis ſibi beneficiis obſtricto. Fuere ſtatim qui rumores iſtos ad Cæſarem deferrent: & hinc comitia Vrſiis indixerat. Ratus igitur multum

tum invidiæ ſibi deceſſurum ſi facti ſui rationem reddidiſſet, cuncta in ſe Galeacii facinora in publico conventu expoſuit. Quam contemptim & procaciter illuſiſſet majeſtati, vitam ſuam veneno petitam, percuſſa cum hoſtibus fœdera. Interceptam deinde epiſtolam recitat, perfidiæ indicem & teſtem. Adjecitque ob hæc flagitia olim ſibi ſuſpectum, nunc manifeſtis indiciis obrutum, quem ſuo jure poterat ultimis ſuppliciis dedere juſſiſſe vinciri. Hæc quidem ita dicebantur: multi tamen ſubornatas eſſe litteras credebant. Ioannes & Lucinus inſimulati erant, ut perfidiæ conſcii ac participes. Sed non conſtabat liquido de crimine. Iuſſi igitur ſunt viginti quinque aureorum millia pendere fiſco, & donec ea pecunia inferretur in cuſtodia haberi: At hi portione mulctæ exoluta negligentius aſſervati correpta fuga fruſtravere reſiduum.

Hinc Cæſar cum Cane Scaligero Veronam divertit, excepturus ſociorum auxilia, quæ in duo equitum millia excreverant. Inde Apenninum tranſgreditur; nullo ex hoſtibus obvio; quamvis ſatis virium Bononiæ torpentibus ſuppeteret. Tria enim equitum millia ſub ſignis habebat Cardinalis Portuenſis. quæ ſi objeciſſet inter anguſtias montium, occupatis, obruiſſet forte multa cum vexatione ingredientes: at certe tranſitum inhibere poterat. Sed illi deerat animus, culpamque in milites congerebat, quaſi hi detrectaſſent expeditionem, quod pecunia non eſſet in ſtipendium miſſa. Ea excuſatio apud multos hautquaquam probata, fidem ejus rumoribus expoſuit.

Cæſar Piſas aditurus caduceatores præmiſit qui ſuaderent civibus, ut intra mœnia venientem reciperent. Orta enim diſcordia erat inter ipſos. Aliis placebat aperire portas & cum donis intranti occurrere. Obſidionem alii tolerare malebant. Nihil in commune conſulebatur. tumultus non conſilium erat. Hi penes quos civitatis regimen, habebant ante oculos Mediolanenſe exemplum, vetabantque intromitti legatos ne prævaleret eorum auctoritas. Germanos denique in oppidum prægreſſos ademptis equis extra munimenta tendere jubent. Quæ nunciata Ludovico ſic accendere animum, ut juraret, ſe intraturum urbem aut oppugnaturum. Iamque admoverat propius copias: cum tres delegati in caſtra ad Aretinum epiſcopum perveniunt, pollicentes ſexaginta aureorum millia ſi exercitus inde ſine noxa abduceretur. Quibus auditis Cæſar acrius inflammatus eſt, urbemque circumſedit, internunciis fœdæ pacis comprehendi juſſis. Oppidani primum ſe ſtrenue tuebantur; lentius inſtante Cæſare, ſi melioribus conſiliis flecterentur. Poſtremo menſtrua obſidione fatigati, auctaque

diſcor-

diſcordia, permiſere urbem Ludovico, modo ne Caſtrucio cum exulibus liceret ingredi, utque ſuis legibus relinquerentur, ſexaginta aureorum millia præſtarent. In has leges ſacramento utrimque dicto, Cæſar intra mœnia conceſſit. Diceres mox alium populum, adeo verſi ſunt in benevolentiam paullo ante hoſtiles animi: utique poſtquam Ludovicus bonitatem ſuam cunctis publicavit. Nullam enim ex virtutibus ejus magis admiror quam humanitatem & clementiam, quæ in illo tantæ fuiſſe traduntur ut in facillimo acceſſu, affabilitate mirabilis, neminem à ſe triſtiorem dimitteret. Ingentes cuſtodes ad ſui tutelam. Nulla enim certior regibus, quam ex manſuetudine ſecuritas. Populi benevolentia vili conſtat, quæ humanitate emitur. Nec alia arte multitudo tractanda eſt, degens in libertatis umbra, regnataque quaſi precario. In cives quidem aſtrictos legitimo regno, paulo cautius diſpenſandus eſt civilis habitus pro cujuſque populi genio, quem nec promiſcuum habere oportet, nec abſciſſum: ne moroſus in odium, profuſus in contemptum tranſeat. Durus tamen aditus, difficilis ſermo, plebemque cum faſtu deſpiciens ſub ſpecie magnitudinis occultata majeſtas, gentibus illis relinquenda ſunt, quos ſuperba & dominica poteſtas vili ſervitutis jugo aſtrinxit: ubi ignota comitas inferius majeſtate habetur. Petente Cæſare ut Caſtrucius ipſi redderetur, puduit cives quod ſecuritatem ſuam pacti eſſent. Itaq; non modo illum ſed etiam exules intromitti juſſerunt. Atque ut oſtenderent, quantam fiduciam in Cæſare ponerent, lacerata deditionis pacta ſpectante ipſo in ignem mittunt, ac ſacramentum ejus ſine exceptione accipiunt. Ille collaudata eorum benevolentia Caſtrucium impenſe coluit: cum econtra Aretinus epiſcopus nullo in honore haberetur. Forte enim Caſtrucius contentione exorta, acriter in eum invectus fuerat, Cæſare coram proditorem appellans, quod prævaricatione ipſius factum eſſet, quo minus Florentia potiretur. Hinc ſe Aretinus ſuſpectum exiſtimans, Cæſaremque peroſus, ad Pontificios defecit, nec multo poſt mortem obiit.

Inter quæ Cardinalis Vrſinus Etruriæ legatus Florentiæ vulgavit edicta, quibus diræ in Cæſarem continebantur. Idem ut Romæ fieret præceperat ſedulo Pontifex Maximus, miſſo in eam rem peculiari edicto, quo præterea cives admonebantur venienti Ludovico claudere portas, & ſi admitteretur intra mœnia juſſi erant Sacerdotes in proximas urbes ſecedere, ne contagione ſceleris pollluerentur. Civitatis Principes ſciſſi in factiones. Populus in medio relictus huc illuc agitabatur. Stephanus Columna & Neapoleo Vrſinus vulgi ſtudia ad Pontificem trahebant. Econtra Serra Columna & cum Iacobo Sabello

Theobaldus Euſtachianus pro Gibellinis acerrime nitebantur. Stimulabantque Cæſarem ut propius accederet, præmiſſa parte copiarum qua adverſariorum vires acciderent, ſi quis tumultus in Vrbe oriretur. Ludovicus tum Piſis tempus otioſe extrahebat, ludis intentus qui inſigni magnificentia à Caſtrucio edebantur. Itaque maturandum ratus, civibus ſtipendium indixit. Sexaginta aureorum millia in aurum coronarium deprompſerant Piſani. alia centum millia petebantur; tumultuante multitudine tributorum impatientiſſima. Sed numeranda militibus ſtipendia erant, ſoluturis diſciplinam ſi ſine ære progredi juberentur.

Igitur Cæſar accepta pecunia, duo peditum millia cum expedita ſexcentorum equitum manu Romam præmittit, & quantum poſſent feſtinare jubet. XVIII kalend. Ianuar. cum tota exercitus mole ipſe ſubſequitur. Perventum erat ad Vmbrum flumen, cujus altitudo continuis imbribus adjuta non poterat vado tranſiri. Tumultuario igitur ponte jungitur amnis. Iamque in adverſam ripam tranſmiſſa erat pars copiarum, cum ſub onere pons deficiens, ſuperſtantes excuſſit, quos graves armis abſorbuere gurgites. Ergo qui in citeriori ripa remanſerant, conſilii inopes hærebant, conquiſitiſque navibus coacti ſunt manipulatim trajicere. Carolus filius Roberti regis Florentia deceſſerat, ad tutandum paternum regnum Aquilam tendens. Nec dubitatur, ſi ſuperveniſſet tranſeuntibus, opprimere potuiſſe incompoſitos in ripa, & à mutuo auxilio diſtractos. Sive illum audacia defecerit, ſive revereretur imperium patris, cum Germanis prohibitus manus conferre, (quippe utrumque traditur) nuſquam ſe oſtendit armatis.

*An.* MCCCXXVIII. Cæſar Viterbium intrans tantiſper ibi quietus ſubſtitit, donec ex Vrbe ſuccederent qui res compoſitas eſſe referrent. Siquidem Cardinalis Vrſinus publicato anathematis edicto, Romanum populum in tumultus rapuerat, frementem ſe à ſacrificio arceri. Sacerdotum quoque miſericordia acceſſerat, qui ſe multis diris territi extra Vrbem proripiebant. Milites interim quos à Cæſare præmiſſos diximus, prodentibus conſciis, clam intra mœnia recepti Caſtrucio Duce Caſtellum ſancti Angeli expugnant cum tranſtyberina regione & inſula, quo Guelphorum cohortes adverſus Cæſarem præſidio miſſæ, ut ſi quis motus in Vrbe moveretur ipſi cimbis conjungerentur. Cardinalis Vrſinus cum Stephano Columna & Neapoleone Vrſino Duces Guelfarum partium, ante profugi exilio plectuntur. Tum Cæſar feſtinare monitus, juſſit militem in ordines concedere, adjuncto equitatu cum mille ſagittariis quos Caſtrucius Viterbium adduxerat. Moto

igitur

igitur exercitu alteris caſtris pervenit ad portas civitatis. Ibi magiſtratus obviam habuit cum primoribus, & ſacerdotum choro: qui convenientibus verbis exceptum, deduxere in Vaticanum, præparato pro decore hoſpitio. Quacumque tranſeundum erat, ſtabat populus ad latera viarum applaudebatque venienti. Simul alii in palatium ruebant cum tumultu, inter proſequentium & ſeſe mutuo elidentium turbam. Nihil in vulgo immodicum. Quanto odio abſentem devoverat, tanto cultu præſentem fovebat. Deinde Cæſar habito cum primoribus conſilio Capitolium aſcendit; quo populum convocari præceperat ad concionem. Receptuſque in ſolium per conſtipatam multitudinem, Elleramum epiſcopum Auguſtiniani Ordinis juſſit aſſurgere. Is à laudibus Cæſaris honora oratione exorſus, deſiderium ejus eſſe expoſuit, ut Senatus populuſque Romanus Imperii diadema petenti deferret. Ad hæc verba ſecutus eſt ingens plauſus, vivat Cæſar acclamantium. Fuere qui dubitarent an invito Pontifice hæc ita rite agerentur: cæterum populus Romanus econtra contendebat ſuas eſſe partes Imperium conferre, Pontificis autem conſecrare iiſdem auſpiciis. Carolum enim Magnum tunc demum coronatum eſſe poſtquam populus Romanus imperare eum juſſiſſet. Hodierni autem Pontificis turbulentum ingenium atque injuſta in Cæſarem odia obeſſe ſibi non debere.

Dicta eſt inaugurationis dies ſexto kalend. Febr. ac medio tempore de honoribus actum. Qui adornandæ pompæ præpoſiti erant, omnia ad magnificentiam inſtruebant. Cœperunt deinde cogitare, nihil rite agi poſſe ſine Comite Palatii Lateranenſis, qui tunc Romæ nullus habebatur: atque id ipſum ad Ludovicum deferunt. Ille hanc dignitatem Caſtrucio contulit, aureaque donatum bulla, ſua manu baltheo præcinxit. Delectus eſt Serra Columna qui conſecrato diadema imponerat. Ex quo coronam columnæ impoſitam gentilitia inſignia adhuc oſtentant. Buccius Proceſſus, Vrſinus Vrſinius & Petrus Montinigrus ad proxima ab illo deſtinantur officia aſſiſtere juſſi. Cæterum inaugurationis ſolemnia in templo Vaticano conſueverant haberi: in cujus viciniam diverterat Cæſar. Conveniens ergo viſum fuit, aulam inde ad ſanctæ Mariæ Majoris transferre, quo longius explicaretur feſtivus apparatus, poſſetque pompa ſpectari à pluribus. Is autem ordo fuit. Primi ibant Vrbis ſigniferi cultu magnifico, ſublimes in equis, quos oſtro inſtraverant. Poſt illos quinquaginta Romanæ libertatis cuſtodes cum præfecto Vrbis, quos ſequebatur Caſtrucius. Cæſarem proxime antecedebant, de quibus ante dictum eſt, quatuor-

viri, cum diademate & ſceptro pretioſiſſimam veſtem omnes induti. Nec dubito plures auxiſſe pompam: Sed nihil præterea memorant annales. Totum iter fulgebat imaginibus & ſignis. Dependentes ab utroque latere tapetes & periſtromata inferiorem ædium partem abſconderant, deſignabantque viam proceſſuris in Vaticanum. Iacobus Renatus nepos Cardinalis Pratenſis & Elleramus epiſcopi occurrentes intranti in veſtibulo templi cum ſuis infulis dignitatis, ducebant progredientem ad aram, ubi inter ſolemnes preces ſua quiſque officia implevit. Margareta uxor ſimul coronata eſt, geminavitque illa mox lætitiam edito partu, qui Ludovici Romani nomen accepit. Peractis ſolemniis Imperator foris ſe conſpicuum oſtendens exſpectantibus, pro concione edixit, protecturum ſe Catholicam fidem, convenienti honore culturum religioſos & Sacerdotes, viduis ac pupillis jura daturum. Acclamatum tunc eſt à multitudine confuſis vocibus vivat Imperator. Atque inde itum in Capitolium ad epulas, quas publice exhiberi juſſerat. Poſtera die, ſuas in Vrbe vices Caſtrucio mandavit ſenatoria dignitate inſignito. Quidquid enim honorum poterat, in unum illum congerebat. Ducis titulum pridem dederat. Interminellæ genti (unde & Caſtrucio origo) Bavarica communicaverat inſignia. Nec ſatiatus ille tot beneficiis, poſtulare cœpit ut Galeacius in libertatem dimitteretur. Quia vero ſtatim non impetravit, indignatione pleniſſimus, iram in occaſionem condidit animo. Deinde cum relatum eſſet Piſtorium à Florentinis captum ſub honeſta illa ſpecie ſeceſſionem fecit. Turbaverat ea res Ludovici animum, non magis propter abſtracta militum auxilia, quibus opus habebat in domando Roberto rege, ex adverſo ſtruente impigre bellum; quam de occulta Caſtrucii offenſa ſollicitum. Verebatur enim ne iniquam iracundiam flagitioſa defectione ulciſceretur. Tantum momenti in uno illo viro erat, ut quocumque ſe dediſſet, ſocius an adverſus, ſecum res inclinaturus videretur. Mitigandum igitur Imperator ratus, Galeacium cum filio exemit è vinculis. Deprecante potiſſimum Marco fratre ex perfidia in pœnitentiam verſo.

Non tantum jam decreſcebant ejus vires, ſed etiam hoſtium indies augebantur. Richardus enim Vrſinus Vrbis Cancellarius ad eos defecit. Habebat is oppidum ad littora maris: Scurum nomen eſt. In hoc recepta Roberti Regis præſidia ad Romana mœnia excurſiones faciebant. His incommodis vexatus populus, vicemque redditurus perfido, ædes ejus dirui juſſit, cum turri ad radices Capitolii ſita, ne civibus inde bellum inferret.

Ludo-

Ludovicus autem ne otioſus in Vrbe torperet exercitus, copiarum partem ad depopulandos Vrbevetanorum agros mittit. Pervicaciſſimos Guelforum conſtabat eſſe, parique calamitate Romanos afflixerant. Sed interim Romæ tumultuatum eſt. Germanicus miles tardante ſtipendio alimenta à civibus exigebat. Indignati illi ad hanc novitatem, à jurgiis ad manus ferrumque tranſiere. Et quidam militum obtruncati ſunt. Tunc undique exortus diſſonus clamor tumultum ſparſit in diverſa. Hinc cives, inde milites armati conveniebant: videbaturque arſurum atrox prælium. At Cæſar audito tumultu ad ſancti Angeli Caſtellum ſe recepit, admonito milite ut illuc quoque vexilla transferret. Denique copias quas ad prædandum dimiſerat ſubito revocari juſſit. His viribus, & ſuis fiduciam fecit, & populo metum intulit. Seditionis auctoribus ſecuri percuſſis, Silveſter Gratus Viterbii rector oneratus catenis ad eum perducitur. Incuſatus erat agitaſſe cum Roberto rege defectionis conſilia. Cognita igitur cauſa damnatus ſuffragiis judicum cum filio abſtrahitur ad capitale ſupplicium. Gaza fiſco addicta eſt. Triginta inerant aureorum millia, quæ per importunitatem & avaritiam longa tyrannidis poſſeſſione cumulaverat ſordidus ſenex, & forte in perniciem ſui. Fuere enim qui crederent, novarum rerum ſuſpecto magis, quam convicto, magnitudinem pecuniæ exitii cauſam attuliſſe. Nihil enim Imperatorem æque angebat quam conquiſitio ſtipendii, quod flagitantibus militibus differri diutius non poterat. Romani triginta aureorum millia conferre juſſi prope in ſeditionem exarſere.

Maturavit ea res conſilium primorum jampridem de alio Pontifice, nunc inter ſe, nunc cum Cæſare agitantium. Nec prætextus deerat talia concupiſcentibus. Namque Ioannem Pontificem, ob armorum pervicaciam multis exoſum, nimiumque ſuis obnoxium affectibus infamabant hæreſi pollutum eſſe. Sed cauſa ejus paullo altius repetenda eſt. Paucos abhinc annos inter Franciſcanos & Dominicanos controverſia exarſerat de religioſa paupertate. Res parva prima ſpecie, magnum ad certamen progreſſa eſt. Aſſerebant Franciſcani Chriſtum nullum habuiſſe dominium. ejuſque exemplo ſe rerum uſu contentos eſſe quas populi liberalitas mendicantibus conferret: cæterum proprietatem Pontifici permittere. Idque à Beato Franciſco legibus cautum, multis retro placuiſſe Pontificibus, atque adeo nuper à Nicolao Quarto confirmatum, nefas eſſe in controverſiam trahere. Econtra Dominicani adferebant habuiſſe Chriſtum rerum dominium multis poſſe exemplis demonſtrari. Decretum autem Nicolai Quarti ad

victum & amictum nequaquam pertinere. In his nullum poſſe uſum conſtitui, quod proprietas utendo abſorberetur. Abſurdum eſſe & à regulis juris alienum, conſiſtere uſum ſine proprietate. His primum argumentis ſcholas quiſque ſuas imbuebant. Acrius deinde creſcente contentione, rixa foras emanavit, & ad Apoſtolicam ſedem delata eſt. Iamque in contraria ſtudia purpuratorum quoque collegium diſtraxerat: cum Franciſcani totius Ordinis conventu habito, ſententiam ſuam decreto confirmant, offerentes ſe ad defenſionem. Offenſus Pontifex quod pendenti liti in Curia, auderent ipſi præjudicium inferre, duas edidit conſtitutiones, quarum altera eatenus deflexit à Nicolai Quarti ſanctione, ut ad res uſu perituras ſpectare nollet. altera vero habendos inter hæreticos ſtatuit, qui dominium rerum Chriſto abrogarent. Exiſtimaverant multi eſſe conſultius diſcordiam iſtam relinquere ſcholis. Crederet quiſque quod vellet, nihil tamen pietati detrahi. At Pontificis ingenium ſua ſponte pervicax, acrius incitaſſe creditur Bertrandus Dominicanus generalis Inquiſitor hæreticæ pravitatis, rixarum auctor, atque incentivum, imperiiſque Pontificiis ſerviliter obnoxius. Quippe Pontifex ad fulminandum promptiſſimus, & quoties idonea cauſa non offerretur, jubebat eos quos percellere ſtatuerat, in hæreticorum claſſem à Bertrando referri. Hoc crimine olim notabantur qui novos ritus, nova dogmata, & religiones in Eccleſiam inveherent. Sed tunc longe alia in cognitionem veniebant. Satis cauſæ ad delictum videbatur, ſi impotenti Pontificis cupiditati armorumque libidini ſe quiſpiam ex adverſo objiceret. Interea Franciſcani palam obteſtabantur Ordinis ſui diſciplinam convelli Nicolai Quarti ſanctione armatam. Sacroſanctas eſſe Pontificum conſtitutiones, in quibus de fide aut moribus ageretur. Non poſſe eas citra hæreſim de ſtatu moveri. Hæc quidem illi adhuc modeſte, tanquam cauſam ſuam agerent. Cæterum Pontificis inimici infamiam ejus licentius urgebant. Clamabant eſſe Pontificatu indignum, unde ipſo jure excidiſſet. Eamque mentem Ludovico indiderant ut & ipſe conſtanter crederet poſſe illum jure deſtitui. Facturus itaque quod deſtinaverat, ad populum tulit ut in hæreticos lege ageretur. Nec multo poſt, advocata in concionem multitudine in ſolium progreditur quod in Vaticani gradibus erigi juſſerat. Cumque reſediſſet in regio cultu proceribus ſtipatus, Nicolaus Fabrienſis Auguſtiniani Ordinis Theologus elata voce ter populum citavit, ſi quis Iacobi Cathurcenſis (hoc enim erat Pontifici gentile nomen) defenſionem ſuſcipere vellet, poteſtatem ei fieri. Poſtquam nemo reſpondiſſet ad edicta, Abbas

bas quidam natione Germanus ſucceſſit iu Cathredam, & in hunc modum populo locutus eſt.

Ego vobis, Optimi cives, læta omnia & proſpera nuncio. Id enim nunc agitur quod & veſtri & Eccleſiaſtici Ordinis Syndici poſtularunt paulo ante ſibi concedi. Imperator quippe cura & æquitate ſua dignum exiſtimavit Apoſtolicam ſedem vobis, quaſi poſtliminio reſtituere, quam Iacobus Cathurcenſis ſeq; & dignitatem in Gallia polluens cum pernicie Eccleſiæ indignus uſurpat. Priuſquam admoveretur faſtigio Neapoleoni Cardinali ſacramento fidem dederat, non mulis ſe non equis uſurũ, quam progredientem ille in Italiam conſpiceret. Iam vero tot annos non niſi navigiis vehitur, aut pedibus iter facit, ut fruſtretur deſideria veſtra perfidiæ fraudem improba imagine adumbrans. Quid ergo de illo ſperandum eſt qui nec reveretur homines, nec cælitibus curat imponere? Hunc caput Eccefiæ quiſpiam agnoſcat, qui nullam aliam gloriam ad Pontificatum attulit, quam bellorum in Italia, protervię in Cæſarem, turbarum in Germania, diſcordiarum in Eccleſia, in Sacerdotes avaritiæ, impietatis in religionem. Scitis enim quot turbas, quas tempeſtates Inſubrię invexerit Cardinalis Portuenſis furoris illius furioſiſſimus ſatelles & tali dignus Pontifice nepos. Quota pars Italiæ furiis ejus accenſa non eſt? Si fata acceſſiſſent conſiliis non haberet ibi quo ſe reciperet expulſa majeſtas, ad quam Cathurcenſis aſpirat. Siquidem clientes Imperii armis & cenſuris perſequitur, quia ad ipſum deficere noluerunt. Eandem licentiam in Cæſarem uſurpat, quia cupiditatibus ejus non obſequitur. Vaſallos & ſubditos à ſacrificiis arcet qui Imperatoris ſui reverentiam ſuſpiciunt. Quid hoc aliud eſt, quam poteſtatem conſtringendis hominum mentibus acceptam, ad occupandum terrarum orbem transferre? Quis hanc illi licentiam dedit ut in diademata aſſurgeret? Negavit Chriſtus regnum ſuum eſſe de hoc mundo, juſſit Cæſari quæ Cæſaris ſunt reſtitui. Quid ergo ille tanquam Chriſti Vicarius uſurpat, quod à ſe Chriſtus abdicavit? Cur Schiſmaticos & hæreticos proclamat jugum ipſius detrectantes accipere? Sed quid hoc mirum? nos etiam Saracenos appellat. Nuper ſuadentibus amicis ut in Barbaros verteret arma, ſatis Saracenorum reſpondit eſſe in Italia. Itane vero? nos Iacobo Cathurcenſi Saraceni videmur? Qui ſunt igitur Chriſtiani? Bellus ſane Chriſtianorum pater, qui tanto odio in Chriſtianos invehitur, ac ſi Syria aut Ægyptus peteretur. Quod feciſſe alios nefas eſſet, id in Pontifice non pro ſcelere, ſed pro monſtro habendum eſt. Sed illum, cum pia bella gerere poſſit, impia tantum arma delectant. Chriſtiani interim in Armenia

ſub Saracenorum jugum propemodum compulſi ſunt. Quinque jam totos annos armorum noſtrorum pietatem ſupplices implorant, & neminis adhuc ægrius miſericordiam quam Iacobi Cathurcenſis eliciunt. Nihil movetur ille gementium lachrymis. Suſpiria iſta non exaudit, bella hæc non curat, unde nullum avaritiæ emolumentum ſed incrementum tantum religionis quærendum eſt. Obtentu tamen hujus belli dimiſit per regna præcones, qui citarent populum ad crucis vexilla, gratias & indulgentias pollicerentur, totam denique Galliam decimarum decimas in militare ſtipendium conferre juſſit, fructus beneficiorum vacantium in tres annos ſibi reſervavit, primitias & annates inſtituit, ſacerdotia omnia tributaria fecit, ut totum illum apparatum converteret in Italiæ perniciem. Hæc quamvis per ſe intolerabilia, quid tamen ſunt præ iſtis, quæ quotidie audimus in Germania accidere? Quis Lituanos Chriſtianorum hoſtes in Brandeburgenſes impulit? Iubete quæri à captivis, Pontificem omnes auctorem incuſant. Horret animus, quoties recordor, tot captiva Chriſtianorum millia, ſtupra fœminarum & virginum, monaſteriorum excidia, denique in ſacra contumelias, quibus ſcurriliter illudunt Barbari, religioniſque noſtræ ſanctitatem inter ſuorum ludibria exſibilant. Quid? hoccine paſtoris officium in gregem ſuum lupos immittere? Si quiſpiam alius hoc peccaſſet, quis impenſius ipſo vindicare debuerat? Videte quantum inter illum & anteceſſores interſit; qui ſoliti ſunt ad ejuſmodi barbarorum procellas Chriſtianos vocare ad cingulum, ne quidquam periret de religione, in quam ille barbaros exſtimulat, prorſus quaſi non ad regendam Eccleſiam, ſed ad deſtruendam eam electus fuiſſet in caput. Vtcumque vero ipſe hæc diſſimulet, purgare tamen non poteſt quod Gallicam claſſem in Brandeburgenſium auxilium adornatam à Rege, Gibellinis in Italia objecerit à barbarorum cervicibus averſam, ne quis eſſet qui graſſantes coercere poſſet. Iam vero quid de Eccleſia dicam quam in tanta rerum confuſione non minore veſania perturbat. Sacerdotia omnia ad ſe traxit, non ut virtutibus gratiam referret, ſed ut proditoribus urbium, deſertoribus & transfugis Cæſarianarum partium cederent in præmium, denique ut ſubjiceret haſtæ, quidquid perfidi non auferrent. Quot Abbatiæ & epiſcopatus fœda mercede venierunt? quot adhuc emptorem exſpectant? Nullam ſe dignitatem melius collocaſſe putat, quam cujus emolumenta & proventus magnitudo pretii exuperat. Hac vero nundinatione quid fœdius? cum non perſonarum, non ætatis, aut doctrinæ ratione habita, ſordidiſſimus quiſque ad licitationem admiſſus, nihil præter indignos mores

mores ſacerdotiis inferat? Quam multis ea labes publicam pacem excuſſit? quot ſchiſmata excitavit in Eccleſia? Hic divulſi canonici, in factiones diſcedunt. Illic epiſcopis in poſſeſſionem venientibus armata ſe collegia objiciunt. Alibi conſurgunt Reges in hanc novitatem. Alibi indignantia collegia eligunt alium qui candidato Pontificio contumaciam opponat. Illis moribus, illis exemplis labefactantur ſacerdotes, ut primum neſciant cui parendum, unde ſacramenta petenda ſint, deinde velut fræno exoluti, in omnem vivendi licentiam ſolvuntur. Sed Iacobus Cathurcenſis hæc non curat. Mavult cuncta pollui nequitia quam vel minimam avaritiæ ſuæ venam obſtrui. Hinc religioſam paupertatem proſcripſit, quam anteriores Pontifices tantopere commendant. Hinc etiam ſancire ſuſtinuit, Chriſtum Dominum habuiſſe dominia. Atque ut omnes ita credere vellent, inter fidei articulos repoſuit. Scilicet ne acervis auri argentique incubanti ruborem exprimeret aliena paupertas. Iret nunc, & Cæſarem ut hæreticum proſcriberet, qui ſacroſancta ſubvertit anteceſſorum decreta. Quid? audetne Cæſarem dicere hæreticum ipſe hæreticus? Negat animas corpore ſolutas, Chriſtum viſuras ante reſurrectionem. Nonne hoc portentum totius Eccleſiæ conſenſum impugnat? Latroni dixit Chriſtus in cruce, hodie mecum eris in paradiſo. Quod tunc latroni conceſſum eſt, an non & cæteris promittitur. Ita ſemper credidit Eccleſia. ita & hodie credimus. Nemo præter illum adhuc repertus eſt, qui in hæc deſcenderit prodigia. Foveat eum Avinnionenſis factio utcumque velit, inveniat ibi ſuos patronos, quos Eccleſiaſticis beneficiis ſaginat: patieturne tamen Imperator, patronus tutorque Eccleſiæ, flagitioſiſſimum hominem ac ipſo jure exutum Pontificatu, Chriſtiano populo diutius illudere quam neceſſe eſt? Non eſt ſine exemplo Pontifices ab Imperatoribus dejici. Idem Otto Magnus fecit, qui Ioanni Duodecimo privatis tantum flagitiis cooperto, traditurus alteri claves abſtulit. Itaque quod Deus bene vertat, cum nemo pro Cathurcenſi dicturus aſſurgat, pronunciabo de illo ſententiam, quam juſſus ſum à Cæſare proferre.

His dictis publicavit edictum, in quo continebatur Pontificis proſcriptio. ac deinde adjecit, operam daturum Cæſarem, ut in vacantem ſedem ſubſtituatur, qui ſe communem patrem meminerit. Populus à concione dimiſſus in foro ſancti Marcelli convenerat frequens. Ibi Iacobus Columna Stephani filius in corona prælegit ſententiam quam adverſus Bavarum tulerat Pontifex. Deinde obteſtari cœpit, falſum eſſe Syndicos utriuſque ordinis auctores fuiſſe, ut de cathedra

Ioannes

Ioannes excuteretur, cum ſanior clericorum pars paullo ante oppido ceſſerit, & remanentium fœx utpote excommunicata nec creandi Syndicum, nec delegandi poteſtatem habeat. Sed neque Ludovicum Bavarum Imperatoris titulum falſo uſurpantem, neque ſenatores urbis idoneos judices haberi, qui de Pontifice pronuntient. Diris omnes eſſe devotos. Ioannem rite electum à purpuratis, legitimum Pontificem eſſe Chriſtique Vicarium. Et ſi quis negare vellet, deſcenderet in ſingulare certamen, paratum ſe hoc ferro (vibrans gladium quem ſtrinxerat) refutare mendacium. Hæc vociferatus diploma affigit foribus delubri, equoque concitato recurrit ad patrem, à quo miſſus fuerat viſurus quid Romæ ageretur. Miſſi ſunt à Cæſare qui inſequerentur retraherentque fugientem. Sed equos ille ſubinde mutans, dum vocantur, dum armantur ſequi juſſi, multum jam viæ confecerat.

Poſtera die flagitantibus magiſtratibus edixit Imperator, ne Pontifex inconſulto populo plus bidui itinere ab Vrbe recedere, aut trimeſtri diutius abeſſe vellet: ſin ſecus Pontificatu excideret. Cæterum poſt aliquot dies convocata iterum concione per præcones, ipſe ſicut ante reſidens in cultu majeſtatis, Petrum Corbarium accerſi jubet. Erat hic nobilis genere, proſpera fama, ingenium ad negotia capaciſſimum multa quoque eruditione compleverat. Iuvenis duxerat uxorem, à qua facto ſpontaneo divortio ſeceſſurus ad animi libertatem, Minoritarum Ordinem amplexus eſt, in quo diu ſanctiſſime vixit. Huic Cæſar aſſurrexit venienti, juſſoque infra ſe conſidere, Nicolaus Fabrienſis verba rurſus ad populum fecit. Oratione finita, Venetus epiſcopus ter rogavit, vellentne juberentque Quirites, Petrum Corbarium, quem præſentem cernerent, Pontificem eſſe. Applauſum eſt ad ſingulas rogationes à multitudine, conſentiente in hanc fortunam, ſine cura, ſine judicio; Idem mox factura Ioanni, cum partes illius prævalere incipient. Plebs enim præſentia ſequitur, ſemper mobilis, ſemper immodica, ſive in favorem, ſive in odium, & quo fortuna vergit, eodem ſtudia adulationemque inclinat. Tum vero Imperator Corbarii digito annulum inſeruit, purpuramque ſuſpendit de collo ſtantis, quæ ſupremum ſacerdotem decebat. Sic ille ornatus, invitatuſque ad ſublimius ſolium, Cæſarem juxta acquievit inferior. Exſpectantibus omnibus quid acturus eſſet, Nicolai Quinti nomen aſſumpſit, atque id ipſum juſſit in populum ſpargi. Proceſſum inde in templum, ad peragendos ritus, qui ad hæc ſolemnia conſueverant.

Non defuere etiam è Cæſareanis qui hoc conſpectu moverentur. Sane Belgarum prudentiſſimi, peccatum eſſe ab Imperatore referebant.

bant. Laudandam bonorum Pontificum innocentiam, malorum vitia toleranda eſſe, quotuſquiſque Regum iiſdem affectibus non urgeretur? Paucos adhuc repertos eſſe in tanta innocentia, qui fortunam incrementum regni offerentem aperto ſinu non exceperint. Vetus malum eſſe inſultare viciniæ, injuſta arma circumferre, in alienam eminere perniciem, per fas per nefas æmulis ſuis inimicos quærere, nihil flagitioſum ducere quod augendæ potentiæ ſpem erigat. Scelera hæc vocari, quoties non reſponderet eventus. Sed ſi improba conſilia exitum inveniſſent, pro prudentia, pro politica arte, pro gloria haberi. Ignoſcendum igitur & Ioanni, quod in via publica erraverit, quod omnia potius habere malit in poteſtate, quam affectus, cum & homo ipſe ſit, & humanis imbecillitatibus obnoxius. Quaſi vero non & alii Pontifices, paria aut pejora peccaverint? Satius fuiſſe in afflictis ſæculi moribus, excuſare præſentia, & à ſucceſſoris indole meliora exſpectare, quam Pontificiæ dignitati vim inferre, cujus ſplendor poſſidentium ſordibus non macularetur. Quis autem credat, deſciviſſe Pontificem à ſenſu & religione majorum? Scilicet Ioannem Iandunum & Marſilium Patavinum idoneos auctores eſſe, ut tanti criminis reum faciant, quem univerſa adoraret Eccleſia: cui tot viri eruditione inſignes, moribus ſanctiſſimi adeſſent conſilio, quem tot ingenia per orbem ſparſa venerarentur & colerent. Neminem horum futurum qui ſcire poſſet nocentem eſſe? qui auderet coarguere errantem, & à contumaci deficere? Duoſne iſtos homines, ſacrilego furore correptos, ſupra omnes mortales ſapere? an ab iiſdem diſcendum eſſet, ad quem modum numina colenda ſint, quid credere, quid non credere oporteat? Quis tamen de crimine pronuntiaſſet? Requiſitam enim eſſe ſententiam, Quis damnaſſet Ioannem Pontificem, ut rite poſſit de faſtigio dejici? nempe Cæſarem. Non eſſe hanc cognitionem Cæſaris, pertinere ad univerſalem Eccleſiam. Deſtituerit Otto Magnus Ioannem Duodecimum, flagitiis ſuis dignitati prægravem; quæri tamen an recte egerit. Quod tunc contra ſacroſanctos canones, contra fas, & ſine exemplo factum eſſet, donec conſtet legitime factum, non poſſe inter exempla numerari.

Hæc & ejuſmodi inter ſe muſſabant Belgæ, cum interim Corbarius ſpeciem facturus Pontificalis pompæ ſeptem Cardinales denunciat; Mutinenſem, & Venetum epiſcopos, Ioannem Abbatem ſancti Ambroſii Mediolanenſis, cum Franciſco Abbate quem in Ioannem Pontificem invectum diximus, Nicolaum Fabrienſem & Petrum Oringium, & Ioannem Arlotum. Deinde accepta Mutinenſis excuſatione

Ioannem Baraćtam in locum ejus ſubſtituit. At Cæſar confirmato ſibi ab Antipontifice Romano Imperio Velitras petiturus, Reinerum Fagiolanum conſtituit, qui abſentis partibus in Vrbe fungeretur. Bellum Neapolitanum habebat in animo, Romamque à populationibus tutam præſtare. Sed jam fortuna verterat; Roberto Rege in tantum viribus aucto, ut non modo in repellendo bello ſed & inferendo ſatis jam inſtructus videretur. Tunc ſera pœnitentia ſubiit Ludovicum ſpreti conſilii, quod proficiſcenti Romam Caſtrucius dederat. Suaſerat ille ut confeſtim & ſine mora exercitus inde in Apuliam transferretur. Conſtans quippe fama erat, turbatum & inermem regem eo deſperationis veniſſe, ut de fuga cogitaret in Galliam, vacuum regnum hoſtibus relicturus. Sed dum Cæſar Romæ deſidet, occupatus inter intempeſtivas curas cæremoniarum, transferendique Pontificatus ineptias, Siciliæ regem cum Genuenſibus exulibus fruſtra exſpectans, Roberto ſpacium dedit apparandi, quod ingruenti bello objiceret. Hinc cuncta in pejus vergere. Pecunia omnis quæ in expeditionem impendi debuerat per ſegnitiem Romæ inutiliter abſumpta eſt. Et jam militi ſtipendia deerant: alimenta quoque, in regione à ſuis invicem atque hoſte vaſtata. Itaque Guelfis ſpes creverat, poſſe Cæſareanos inopia conſumi. Criſtas quoque altius extulerant, peditibus mille & quingentis, præter quadringentos equites partim fugatis, partim cæſis. Gibellinorum alii exſpectare audebant nutantem fortunam. Alii ad hoſtem animo deficere. Siquidem penuria efferatus Cæſareanus miles, ſublato amicorum hoſtiumque diſcrimine, pari violentia in omnes ferebatur pecuniam & commeatum extorquens, vacuiſque vicis agreſtium fuga faces ſubjiciebat. Nulla in ducibus auctoritas, ſoluta diſciplina militari inter tumultuantes, & ſi cohiberentur, ſeditioſe ſtipendia flagitaturos. Neque in caſtris quies. Hollandi & Friſii cæterique Belgæ à Bavaris Sueviſque diffidebant quod ſolutum his, dilatum ipſis eſſet ſtipendium. Iamque in ſeditionem eruperant, exarſiſſentque in prælium, ni Cæſar, contra decus majeſtatis ſubito accurrens, interveniſſet furentibus; ad pacem revocans promiſſis & blanditiis permulſos. Sed quamvis ſopito tumultu, manebant tamen ſemina irarum. Belgis à cætero exercitu Tibur ſecedere juſſis, Imperator conſilii expers, atque inſuper metuens ne à ſuis deſereretur, præmiſſos tandem Romam Germanos ſubſequitur. Sed & ibi civium fides nutare cœperat. Creſcentibus indies Guelforum viribus, Germani in faſtidium venerant. Nullum videbatur in Cæſare præſidium, inter cuncta circum hoſtilia agitato in diſcordias exercitu. Nullum

auxilium in fœderatis, qui Ludovicum, ſtipendia & militem promittendo, in Italica bella propulſum, violata fide turpiter deſeruerant. Multi ex Gibellinorum præcipuis in civitate fide ambigui. Omnibus ante oculos erat Grati exemplum, qui ad prodendam Gazam primum tortus, ad ultimum quoque necatus fuerat. Vrbs ipſa propemodum obſidione clauſa. Intercepta commercia rerum omnium pretia intenderant. Guelfi viciniam depopulabantur. plebem vexabat annona. His tandem malis feſſa civitas ſtudia ſua in Cæſarem accendit, tacitiſque odiis inſontem devovebat. Iamque in aulam relatum erat conjurationes in Vrbe fieri, civibuſque perfidiam audentibus clandeſtina cum Guelfis intercedere conſilia. Itaque Cæſar periculi admonitus à ſuis, ſtatuit ſe in tempore ſubducere furoribus ingrati & inconſtantis vulgi. Pridie non. Auguſt. venandi ſpecie extra oppidum profectus Viterbium abiit cum Antipontifice, & primatibus quibus ille purpuram dederat, Magiſtro equitum præire juſſo. Secutus poſtea & reliquus miles. Populus adornari fugam jam certus, execrabatur abeuntes, nec temperabat à diris, quibus Corbarium juxta ac Cæſarem devovebat, Ioanni Pontifici fauſta omnia ac læta ſucclamans, publicaturus in illum ſtudia ſua, ſaxa quoque in prætereuntes jacta pleroſque militum obruere. Vacuam Vrbem ac Pontificis ſervitio paratam, Bertholdus Vrſinus ſequenti nocte cum militibus intrat, ex qua paullo ante metu ſupplicii perfugerant magiſtratus, ac Gibellinorum pervicaciſſimi, quorum bona diripuit populus, deinde & tecta concremavit. Sævitum quoque in Cæſareanorum defunctorum manes. Eruta enim tumulis cadavera, unco in Tiberim trahebantur à pueris & lixis, tanquam indigna, quæ in gremium ſuum terra reciperet. Majores deinde copiæ in Vrbem ſubmiſſæ, ne quid deinceps Cæſar in eam moliretur.

Sed ab hac ille cura procul receſſerat, propiore ſpe Vrbevitanis imminens. Habebat enim ibi pecunia emptos, qui ſe oppidum tradituros pollicebantur. Poſtquam autem proditio irrita fuit, Tudertum profectus, in duas partes diviſit exercitum. Vni magiſtrum equitum, alteri Comitem Oetingenſem duces dedit. Guelforum agros depopulari jubebantur, & commeatum caſtris inferre. Quippe Florentiam movere ſtatuerat. Iis enim victis, arbitrabatur neminem in Etruria futurum qui imperia ejus aſpernaretur. Sed ipſe primum occaſionem tanquam ſemper redituram perdidit, profectus obviam Petro Siciliæ regi Cornetum appulſo, poſiturus cum illo de ratione belli conſilia. Totum deinde negotium turbavit Caſtrucii ſuſpecta defectio; qui in

turbato rerum ſtatu fortunæ incrementa quærens, credebat quemque id habiturum quod occupando rapuiſſet. Piſtorio igitur in poteſtatem redacto, totus in eo fuit, ut ſervitutis jugum Piſis inferret. Comes Oetingenſis oppido præerat; quem ille ſive vera vi, ſive ſimulata & muneribus victum dejecit de poteſtate, & ſub ſpecie præfecturæ dominationem invaſit. Florentinos deinde ſollicitat ad fœdera, ut ex Italia Cæſar pelleretur qui in ipſum tam magna contulerat. Sed nulla beneficia perfidiam mitigant. Spem & fiduciam fecerat multorum Principum laſſata fides, & quod Ludovici res ſemper in pejus collabentes propemodum ipſum in contemptum adduxerant. Nihil adhuc in publicum eruperat, ex quo perfidiæ argui mereretur: non omnino tamen fefellit prudentiorum conjecturam: qui ſic in aula fecere ſuſpectum, ut Cæſar quoque timere inciperet. Sed in illis curis occupatum Caſtrucium mors opportune ſuſtulit. quæ tamdiu occulta fuit, donec paternum imperium Henricus filius aperta tyrannide Piſis ſtabiliviſſet. Imperator de Caſtrucio ipſo adhuc ſollicitus tunc Graſſeto admoverat caſtra, una cum Petro Siciliæ Rege mœnia oppugnans: cum miſſi à Piſanis legati ei denunciant exceſſiſſe Caſtrucium, & ſub filiorum tyrannide Piſas eſſe factione eorum, quos pater in præſidio reliquiſſet. Populum ab ipſo quidem ſtare, niſi tamen feſtinato reditu anteverteret diſcrimen, tranſlatum iri ad Florentinos rempublicam. Hoc quamvis nuncio turbatus Cæſar; exitu tamen Caſtrucii tacita lætitia exultans, pudore quodam cohibebatur ab obſidione recedere. Cæterum majora incommoda perſeveraturo occurrebant. Certum in mora periculum: obſidionis ſucceſſum incertum eſſe, in tanta civium pervicacitate, ut duorum exercituum quatriduanos impetus objectis pectoribus conſtanter exceperint. Poſitis igitur conſiliis cum Petro Siciliæ Rege, Piſas ambo quanta poſſunt celeritate proficiſcuntur.

Ad famam adventantium exercituum, tyranni Piſis Lucam dilabuntur. Deſertum ab hoſtibus oppidum Imperator ingrediens, magno Piſanorum gaudio excipitur. Iiſdem autem arguentibus cognoſcit, Caſtrucium ejuſque liberos agitaſſe conſilia adverſus Majeſtatem, tacito fœdere Florentinis annexos, Piſanorumque agros hoſtiliter ingredi. Itaque in iram verſus, conſtituit ſe de illis vindicare. Pertinebat enim ad exemplum ne facinus relinqueretur inultum. Dimiſſis igitur Siculis, Terlatinum Terlatum Piſis præpoſuit. Ipſum autem Lucam aditurum Caſtrucii vidua cum donis antevertit. Aureorum erant decem millia, domiti equi, & nobiles gemmæ, quibus iram ejus ſperabat

ſuis liberis poſſe placari. Neque ſpes fruſtra fuit. Recepti quidem ſunt in gratiam juvenes: Sed eadem ſe clementia non geſſerunt erga ſubditos, quam in Cæſare experti fuerant. Itaque dum tributa & vectigalia exhauſti intendunt, & quandam veluti tyrannidem uſurpant, fatigatus Imperator tumultuantis populi quotidianis querelis, tandem illis poteſtatem ademit, & Conrardo Burggravio præfecturam attribuit. Qui Caſtruciorum affinitatem affectans, cum iiſdem creditum ſibi communicat imperium. Multum iratus Cæſar ad hanc audaciam, Burggravio de poteſtate dejecto, Caſtrucianos juvenes paternis honoribus boniſque mulctavit.

Paullo poſt male obrutum nuper Belgicæ ſeditionis reſurrexit incendium. Sed jam non intra rixas diſcordia ſtetit. Multo amplius quam tumultuatum eſt. Octingenti erant equites quos turbulentiſſimus quiſque ex nobilitate in hanc amentiam propulerat. Multorum menſium ſtipendia debebantur eis. Neque Cæſar præſtare poterat pecuniæ inopia obſeſſus. Paſturi igitur egeſtatem ſuam publicis malis Lucam urbem deſtinant in prædam. Invenerantque jam rationem qua in oppidum reciperentur. Sed dum conſilia ipſi ſua non tegunt, dolus proditione diſcuſſus eſt. Prohibiti igitur à civibus ingredi portas, montem occupant quem Cœruleum incolæ vocant. Excitaverat olim Caſtrucius illic munimentum, ne hoſte in illum locum recepto, omnia circum infeſta redderentur. Hoc latrocinantibus receptaculum fuit, in quod prædam conveherent, quam ex agris viciſque & oppidis igne ferroque extorquebant.

Sub finem anni Michael Cæſenas & Guilielmus Occamus & Franciſcus Marcia & cum Henrico Talheimio frater Bonagratia Avinnione profugi Piſas veniunt, quo Antipontifex ſedem ſtatuerat. Erant hi Franciſcani Ordinis facile principes, doctrina & fama; potiſſimum Occamus, ingenio mirabilis, qui in ſcholas invexit novam philoſophiæ ſectam, vocantque Nominalem. Diu Avennioni ſubſtiterant, ſollicitantes abrogationem legum, quibus inſtituta ejuſdem Ordinis libaverat Pontifex ut ante dictum. Ad extremum acriter objurgati, quod non deſinerent obſtrepere Pontificiis actis, deinde etiam veriti ne ex ea cauſa ad ignem protraherentur, ſtatuerunt ab illo deficere. Horum adventus Ludovico gratiſſimus, non modo Antipontifici fuit. Tunc ſchiſma Eccleſiæ latius ſe explicare cœpit in hominum mentibus, non credentibus tot tantoſque viros poſſe errare, quorum inculpata vita, & obſtinata pietas pro paupertate vulgo ſpeciem ſanctitatis fecerat. Itaque pro Cæſare animoſe conſurgentes, maxime vero in

Ioannem Pontificem vocemque & ſtilum exercebant. Proclamabant totis concionibus hæreticum eſſe, quod ſacroſanctas ſanctiones everteret, quod defunctorum animas damnaret ad captivitatem vel tenebras, donec univerſus mundus uno igne ſentiret interitum. Hæc eſſe portenta ſpargebant, quibus ille pollutus & contumax, merito dejectus eſſet de cathedra, qua ipſo jure haberetur indignus.

Pontificiis tamen nec quid reſponderetur, nec qui reſponderent deerant. Demus enim ajebant illi ſacroſanctas eſſe conſtitutiones quæ Catholicam fidem ſtabiliunt, non peccatum tamen eſſe à Ioanne Pontifice in ejuſmodi decreta. Quid enim ad fidem attinet, utrum Franciſcani habeant rerum dominium, necne? utrum paupertas illa quam prætendunt ſit meritoria? non magis hercule, quam ſi quis negaret felum ſuarum catulos alienari poſſe ſine conſenſu Apoſtolicæ ſedis. Quis dogmata iſta inter fidei articulos repoſuit? Nicolaus Quartus voluit Franciſcanos rerum uſu contentos eſſe, & ad Apoſtolicam ſedem proprietatem devolvi. Contendit Ioannes de rebus quæ uſu conſumerentur hoc non recte ſic accipi, abdicavitque à ſe ejuſmodi proprietatem, quæ nulla fingi aut excogitari poſſet. Veruntamen opiniones ſunt iſta, non præcepta. Nemo ad credendum compellitur, aut alterutrius ſententiæ ſub pœna anathematis jubetur accedere. Honeſta contentio ſcholis propoſita eſt, in qua ſe exerceant ingenia, & in hac opinionum caligine mentis ſuæ aciem dirigant. Deinde Ioannes Pontifex non omnino negat caruiſſe Chriſtum rerum dominio; Nec Nicolaus Quartus omnino affirmat. Conſtat Chriſtum habuiſſe aliquando, non habuiſſe aliquando conſtat quoque. Nicolaus Quartus duntaxat ſtatuit coluiſſe Chriſtum paupertatem: ita tamen ut non inficietur, nonnunquam aliquid in commune poſſediſſe. Nec huic decreto detraxit Ioannes. Sed ait anathema eſſe nullum omnino dominium illi adſcribere. Non pugnant igitur hæ conſtitutiones, nec altera alteram abrogat: ſed inter ſe duntaxat colliduntur. Non negamus exiſtimare Ioannem, aſpectum Chriſti in ſupremum uſque diem differri. Et ſunt qui cum illo conſentiant: plures quoque ab illo diſſentiunt. In hac tamen opinionum diſcordia, nihil adhuc ab Eccleſia definitum eſt, ut poſſit dici hæreſis eſſe in hanc vel illam ſententiam concedere. Deliberat enim & expendit Ioannes quid de controverſia ferre debeat, quam ſtatuiſſet lege decidere.

Inter quæ Pontifex & Antipontifex mutuis ſe fulminibus execrabantur. Beltramus Balzius Roberti Regis præfectus Piſanorum agros urebat, Belgarum ſeceſſione in ſuam occiſionem rapta. Nec Cæſar obviam

obviam ibat, tot copiis à ſe averſis. Piſani ultionem flagitantes, rogabantur viciſſim conferre ſtipendia, quibus ad obſequium revocaretur rebellis miles. Lædebant hæc ſine dubio reverentiam Majeſtatis, quæ apud amicos paullatim decreſcens, apud hoſtes in contemptum verſa, ab omnibus timeri deſierat. Spes aliqua ſuberat poſſe Florentiam proditione capi. Neſcio quis nomine Vogelinus, fidem dederat in hæc flagitia, pleriſque civium in ſocietatem contractis. Hi inter ſe partiti erant facinus, ut pars tectis ignem ſubjiceret, pars clauſtra portarum dolabris moliretur, alii Cæſareanis intra mœnia receptis attollerent cum tumultu clamorem quo captam eſſe urbem teſtarentur. ſupervenire debebat Cæſarianorum equitum Magiſter cum mille equitibus, qui totidem pedites adveherent in equorum terga receptos. Reliquum exercitum Piſtorii ſubſiſtere volebant, ut ſi proceſſiſſet fraus, celerrime ſuccederent ad portas, quas præmiſſi pedites occupaſſent præſidiis. Sed & hæc proditio in tempore diſcuſſa eſt. Raro enim in ejuſmodi facinoribus tam conſtanter durat fides, ut non aliquis inter tot conſcios ſpe aut metu in ſaniora conſilia mutetur.

Poſt hæc Azo Vicecomes ad Cæſarem pervenit. Defuncto pridem Galeacio patre, Mediolanenſes in filium ſtudia tranſtulerant, avare & crudeliter habiti à Montorſio Cæſaris præfecto, civilium artium inexperto: & plane neſcio, placidius cives parere indigenis, ſi eadem ſub externis patienda ſint, præpter quæ Principes ſuos deſtituunt. In populo concedente ultro in alienam poteſtatem intendenda ſenſim ſunt tributa ſub prætextu alicujus neceſſitatis, donec plebs dolere deſinat, novitate in aſſuetudinem verſa. At Cæſareanorum Præfectorum avidæ manus, & tanquam in non duratura poteſtate feſtinantes, ad Germanicæ plebis ſervam indolem, Italicæ libertatis patientiam exigebant. Eaque novitate fecere civibus faſtidium ſui. Ergo ut ad propoſitum redeam, Marcus Vicecomes quanta olim invidia depulerat Galeacium fratrem, tanto nunc impenſius favorem ſuum apud Cæſarem impendebat, ut in paternam fortunam filius reciperetur. Iamque cum Imperatore tranſegerat, ut centum viginti quinque millia diviſis penſionibus præſtaret Azo pro inauguratione. Et hanc ille cauſam habuit Piſas veniendi. Ibi Cæſar dominationis inſignibus excultum, arctius ſibi volens obſtringere, Imperii Vicarium per Inſubriam fecit. Petenti quoque pro Ioanne patruo purpurati Ordinis dignitatem, cum officio Apoſtolici legati per Inſubriam, utrumque Cæſar impetravit ab Antipontifice, & ipſo admodum læto, quod tantus Princeps vellet admitti in ſuorum Cardinalium numerum, quem

Avin-

Avinnionenſis aula tanquam imparem & vilem palam irridebat. Inaugurationis pecunia Belgis deſtinata eſt, redituris ad officium accepta ſolutione, in cujus ſecuritatem Marcus Vicecomes obſidem ſe ultro rebellibus contribuebat. Sed hoc fœdus ſalubriter cœptum, Conrardi Burggravii perfidia diſturbavit; qui à Ludovico Imperatore juſſus viginti quinque millia advehere furtive ſe cum pecunia in Germaniam ſubripuit.

350. Hinc Belgæ ſeditioſius fremere, acrius vexare provincias, ſollicitare Florentinos ut in ſtipendium acciperentur. Ab his repulſi tanquam fide dubii, & per tot flagitia diſciplinæ inſolentes, varia poſtea fortuna jactati ſunt, ut ſuo loco memorabimus.

Paulo poſt Piſas adfertur, abdicaſſe ſe Vicariatu Azonem. Ioannem denique Vicecomitem, munere legati repudiato, purpura quoque pervicaciter abſtinuiſſe, tanquam dignitatem dedignaretur. Siquidem Ioannes prudentiſſimus Princeps, inter tot Cæſaris improſpera, medius fortunam exſpectans, ſperabat ſe facile in gratiam cum Ioanne Pontifice rediturum, ſi ab Antipontifice divelleretur, neque Cæſaris amiſſurum, quod nihil in illum aperte decerneret. Nec fefellere eum hæc conſilia. Quippe poſtea epiſcopatu Novarienſi à Ioanne Pontifice donatus, eundemque cum Aychairo Archiepiſcopo Mediolanenſi permutans, domui ſuæ pulcherrime conſuluit, cum in una familia utraque poteſtas, ad ſtabiliendam potentiam conjungeretur. Cæterum Cæſareani non dubitavere, conſilia hæc ad defectionem ſpectare. Nam & pro comperto habebant, Rainaldum Ateſtinum à Cæſare pridem alienatum eſſe, quod Galeacium ille à duobus inimicis delatum ſuſtinuiſſet damnare. Imperator igitur vereri cœpit, ne ulterius ſerperet defectio. Quid enim, inquit, ſi in tanta animorum inconſtantia tota Inſubria in nos armetur? Quid ſi ex alia parte Roberto Regi in Apulia proſpere fortuna ſucceſſerit, quem nunc à meis cervicibus Rex Siciliæ ſolus avertit? Nonne tenebor in Italia clauſus, & hinc Inſubribus, inde Apulis ingruentibus, ſalutem meam cogar vel fœda captivitate, vel indecora pace redimere? Non ſufficiunt milites in tot gladios. Belgas mitigare non poſſum ſine ſtipendio, & unde ea petenda ſint plane neſcio, fœdiſſimo Burggravii ſcelere deceptus. Aliæ Vrbes ad Guelfos defecere, aliæ in poteſtatem vi rediguntur. Si Piſanos, ſi Lucenſes tot incommodis à Belgis affectos, nova indictione aggravavero, & ipſi clam hoſtibus accedent. Itaque hæc & ſimilia expendens cum ſuis, redeundum ſibi in Inſubriam conſtituit, priuſquam erumperet ſuſpecta tempeſtas, confirmaturus ſociorum

ciorum animos, quorum multos ſciebat à novis cogitationibus adhuc abhorrere. Ante omnia tamen Lucam divertit, ad ſedandum tumultum quo in mutuam perniciem cives exarſerant Poginghis & Interminellis ducibus. Quorum illi ſemper populares, ſpecie tuendæ libertatis dominationem aucupabantur. Interminellæ autem Caſtrucianos juvenes, quod ejuſdem ſecum gentis eſſent, in priſtinam fortunam manu reducebant. Sed ſtatim interventu Cæſaris detumuit furor. Caſtruciis ex urbe profugis, Poginghorum ferociſſimi exilio mulctati. Et ut in poſterum tolleretur ſeditionis materia, Franciſco Caſtracano viginti duo aureorum millia offerenti, habenas urbis regendas tradidit. Nihilominus Caſtrucii quieſcere non poterant. Dominationem Lucæ infeliciter auſpicati, majori impetu Piſtorii moliuntur, cum manu militari, & plebe in partibus. Sed Gibellinorum principes obvios habuere, cum præfecto urbis militaribus ſubſidiis inſtructo, victique juvenes in fugam pelluntur.

His turbis Cæſar compoſitis, Tarlato Aretino in fidem tutelamque Piſas tradidit cum idoneo Germanorum præſidio. Ipſe in Lombardiam concedens Teckenſem ducem præire Modoetiam juſſit, ſuaſurum civibus ut ſacramentum Imperatoris acciperent. Cæſareanus miles arcem obtinebat. Azoni oppidum reſtitutum fuerat. Itaque ille cum audiret hoc agi, datumque primoribus eſſe id ſpatium ut ad plebem referrent, Modoetiam feſtinans, nutantes adhuc oppidanorum animos hortari cœpit, ne libertatem ſuam perditam vellent. Nihil enim Cæſarem præſtare ipſis poſſe præſtantius, quàm ſi fines eorum nunquam attigerit. Non ſtudere civium commodo: ſed tanquam prædonem peragrare Italiam. Modoetiamque ſibi apertam velle, ut ab incolis extorqueat pecuniam, quam Etruriæ civitates collationibus exhauſtæ non poſſent amplius conficere. Sibi omnino in animo eſſe Mediolano excludere novis exactionibus imminentem. Et ſi vi niteretur alia quam ſperaverit lautia inventurum, viderent ipſi quid agerent. Sed ſi ſana conſilia pati poſſent, exemplo ſuo portas occluderent. Nullum in obſidione periculum. Tutam muris urbem incolere. Stipatum eſſe Cæſarem ſatellitio verius quam exercitu. Et ſi haberent opus milite, ſubſidia ſe deſiderantibus ſubminiſtraturum. Quod ſi in deteriora conſilia vergerent ſeram pœnitentiam acturos. Confirmati civium animi, exactum à Cæſare ſacramentum detrectant. Quibus ille auditis Inſubriæ Principes, quorum illibatam ſciebat fidem, in conſilium contrahit, convenire juſſos in ignobili oppido Mantuani agri, cui Maceria eſt nomen. Expoſitis rebus

à ſe geſtis, & quo in ſtatu reliquiſſet Etruriam, coactum ſe inde recedere, dixit, Azonis perfidiâ; quem tot cumulatum beneficiis & nullâ injuriâ à ſe violatum in novos tumultus conſtaret ſecedere. Modoetianos denique in eadem ſecum traxiſſe facinora. Armis ſe debere proſequi injuriam. Sed multum virium ſibi deceſſiſſe, fuſiosâ potiſſimum Belgarum ſeceſſione, quos promiſſis ille ſtipendiis fruſtraſſet. Recte ipſos atque ordine facturos ſi auxiliis bello accederent. quorum non minus quam ſua referret vindicatum iri ſceleratam perfidiam, quę Guelficum jugum omnibus minaretur. Decrevere certatim univerſi, Azonem pro publico hoſte habendum eſſe, ſe quoque ultioni acceſſuros. Hac ſpe Imperator fretus Modo etiam pergit. Iamque ad arcem perventum erat. Hanc Cæſareani inſederant. Sejungebat eam ab oppido Lambrus amnis: alias pervius: ſed tum in eam altitudinem intumuerat, ut eques vadum explorare juſſus, ſpectante ipſo abſorberetur. Circumductis igitur copiis ſeptimo ab urbe lapide per Allienſem pontem traducit exercitum, & circumſedere cœpit mœnia. Miſſum ab Azone præſidium oppidani receperant, ſatiſque noverant, non ſuppetere Cæſari tantas vires, ut vim auderet experiri. Averſuri tamen incommoda belli, caduceatorem mittunt, qui nunciaret, non eſſe in ipſorum poteſtate deditionem facere: cæterum Mediolano capto, ſpretis ſe præſidiis partibus ejus agglomeraturos. Ad extremum addidere preces. quibus Cæſar ſe flexum aſſimulans, laxatâ obſidione Mediolanum progreditur, ne Modoetianis mœnibus otioſè aſſidendo, ſpatium daret, quo vires Azonis augerentur. Sed locum non fortunam mutavit. Quippe ab Azone contemptus, cum inſuper ceſſarent ſociorum auxilia, Papiam conceſſit, egregium daturus clementiæ exemplum.

Tres erant filii Rudolpho Palatino geniti, Rupertus, Adolphus & Rudolphus, quos Cæſar defuncto fratre, in gratiam tutelamque receptos, liberorum inſtar pulcherrimè habuerat. Poſt hæc in Italiam proficiſcens, Bavariæ curam Adolpho mandavit, reliquis fratribus ſequi ſe juſſis in militiæ experimentum. Erant enim præſtantiſſimi juvenes, maturâ ætate, regia indole, nec à magnitudine genii corporis habitus diverterat. Totâ hac expeditione ita ſeſe geſſerant ſtrenuè, ut in ſeniorum admirationem rapti, æquales inter palmam referrent. Diu erat quod in ſucceſſionem, ex qua ſuo ſcelere exciderat pater, reſtitui petierant. Sed cum aliis curis Imperator urgeretur, aptius ſubinde tempus exſpectans, beneficium ſæpe petitum ſæpe dilatum, tandem explicare conſtituit. Mirantibus pleriſque ad hæc conſilia, quibus

bus domus ejus potentia laceraretur, vimque legis Majeſtatis infringeret: abſit, inquit, ut committam illos alienæ amentiæ pœnas luere. Peccavit in me pater, cujus delictum innocentes filios ſuſtinere non oportet. Generoſa ſanè vox, magnique animi, ac Principe digna, quæ bonitatem quoque ejus apud poſteros, ſine exceptione commendat. Hæc de-‿um eſt vera clementia, ſuas aut publicas injurias, cum tutò poteſt, nec ad exemplum magnopere vindicta pertinet, donare iis, à quibus emendationem expectes. Hæc enim virtus ſeveritati conjuncta eſt, cauſamque habere debet, & rationi accedere, ne degeneret in turpiſſimum miſericordiæ vitium,& puſillum Principis animum oſtentet. Imperator igitur paternam hereditatem quam cum fratre pro indiviſo poſſederat, in æquas partes diſtribuit, fraternis liberis optione datâ quam vellent portionem eligere. Communem autem Septemviratum ſic partitus eſt, ut ſui fraternique liberi eorumque heredes, alternatim ſuffragia in comitiis ferrent, nunc hæc videlicet nunc illa linea. Prima tamen Palatinis cederet electio. deinde perveniret ad Ludovicum & Stephanum ſuos liberos, inde rurſus ad fraternam lineam tranſitura. Poena quoque nominatim adjecta eſt, ut ſuo jure in perpetuum caderet qui circumſcripta alterutra linea tranſgrederetur legem conventionis. Cautum præterea, ut mutua ſibi auxilia ferrent. Suam quiſque portionem ſervaret. Si ad diſtractionem neceſſitate urgerentur, agnatis venum offerrent. Ne quo incommodo permutationibus aut pignorationibus invicem officerent, moleſtumve vicinum inferrent. Clientes retinerent in fide, nec paterentur eos transferre domicilium. Quorum vices eſſent in electione, ſalva agnatorum jura curare. Deficientibus maſculis in alterutra linea, ad alteram tota perveniret hereditas. Controverſias ortas inter ſubditos utriuſque provinciæ, dirimerent arbitri. Hi à partibus deligerentur. tres actor nominaret, quibus reus quatuor adjiceret. De cauſis arduis Principes cognoſcerent. In has leges diviſionis dictum eſt utrimque ſacramentum. Et poſtea Septemviri rata habuere pacta. Rupertus & Rudolphus præterea petierant ut Rupertus Iunior Adolphi filius paullo ante extincti à ſucceſſione removeretur. Quod iniquum eſſe reſpondit Cæſar. oportere enim nepotes paternum locum ingredi, & coheredibus partem auferre.

Inter has curas Cæſare procul occupato, ſoluta metu armorum Etruria, ſubito Belgarum turbine tota amiſſa eſt. Marcus Vicecomes obſes, uti dixi, datus, cum ab Azone negligeretur, inſinuare ſe re-

 bel-

bellibus cœpit. Vir erat manu ſtrenuus, audacia promptiſſimus, nec militares artes à ferocia ingenii abhorruerant. Itaque ſæpe utilia ſuadendo, intantum ſibi animos conciliavit, ut dux ab omnibus eligeretur. Hic non contentus prædam agere ex ignobilibus oppidis & vicis, Lucam urbem invadere conſtituit. Lucenſem arcem ſervabant Germani, qui ſub Caſtrucio ſtipendia fecerant. Tranſitus inde patebat in opidum: quem ſæpe rebelles ſpoliaturi civitatem fruſtra petierant ſibi concedi. Sed Marcus Vicecomes Caſtrucii filios in flagitii ſocietatem adſcitos, Germanorum animos tentare jubet. Erant enim haut ingrati pleriſque militum, apud quos paternus favor necdum exoleverat. Inquieti juvenes, & erecti ad ſpes novas, donis & promiſſis avaras præſidiariorum mentes tandem expugnant. Itaque rebelles ſuccedere juſſi ferociter in oppidum irrumpunt, cæſoque Caſtracanii præſidio, cives ſpoliant. Magnæ prædæ actæ ſunt in opulenta civitate & mercatoribus gravi, cum per omnes domos ſine diſcrimine avaritia vagaretur. Mox ſecuta eſt Piſanorum defectio. Erat in urbe Fatius Donoratici Comes, auctoritate & potentia facile princeps; cui etiam Imperator in Lombardiam concedens impensè commendaverat Antipontificis tutelam. Is Aretino Præfecto diſcors, liberandæ patriæ conſilium iniit, cum Marco Vicecomite jam tumente precario in rebelles imperio. Nec cæteri oppidani abhorrebant à ſcelere & ipſi pariter Aretino infenſi; quod tributa in Germanorum ſtipendium imperata, privato ille commodo intendere crederetur. Marcus igitur proditione Fatii in urbem receptus, obvias ſibi Germanorum cohortes ſtatim profligat. Subvenientem deinde Aretinum auxilio ſuis, tam ferociter invadit ut effuſa fuga præcipitare ſe extra mœnia per adverſam portam cogeretur, cum militibus quos ſuperſtites prælio fortuna fecerat. Cæſareanis igitur undique pulſis Antipontifex territus, jubente Fatio cuſtodiæ traditur; miſſique ſtatim qui conſulerent Ioannem Pontificem, quid de captivo fieri vellet. Marcus autem Vicecomes egregiis muneribus à Piſanis donatus, in caſtra rediens, Lucam urbem venalem proſtituit, jubentibus Belgis; quorum non intererat ad quem perveniret dominatio civitatis, dummodo ipſi pretio fruerentur. Emptio Florentinis oblata fuit. Sed dum injecto metu amittendæ pecuniæ quorundam civium factione præpediretur, Gerardino Spinolæ Genuenſi octoginta millibus aureorum addicta eſt.

His in Lombardiam relatis, perculſi ſunt Gibellinorum animi. Nec minus Cæſar ad nuncium obriguit. Videbat enim ſe deſtitui à fortuna, & quidquid olim proſpere geſſerat, ab iratis veluti fatis deſtrui.

Nec

Nec multo poſt Lombardia in perfidiam mutavit. Mutina, Parma, & Regium uno conſenſu defectionem machinabantur, tracturæ ſuo exemplo cæteras civitates. Actumque erat, ni Cardinalis Portuenſis Rulandum Rubeum Parmæ dominum, publica fide ad ſe pellectum conjeciſſet in vincula. Hoc enim intempeſtivo facinore tantum ille ſibi odium conflavit, ut & Bononiam conſpiratione civium propemodum amitteret, & receſſura undique ſtudia ad Cæſarem reverterentur.

Interea Marcus rebellium fiducia ac proſpero rerum ſucceſſu tumens, ad Mediolanenſem ditionem vaſtas cogitationes adjecit, præcipitaturus Azonem de faſtigio. Vetus ambitio, vetus odium redierat in animum. Ingensque in ſe immeritum interpretabatur, quod ille quem è carcere protraxerat; quem in paternam fortunam reduxerat, pro quo ſe barbaris tradiderat in captivitatem, poſt tot beneficia quoque ingratus, diſtuliſſet obſidem redimere. Has ſuas injurias apud Florentinos frequens querebatur: non ferendam proterviam ajebat, qua ſibi tam impotenter illuderet. Si arma ſecum jungere vellent publico conſilio, ceſſuram ipſis Piſam in præmium belli, & Mediolanenſe imperium partibus Pontificis acceſſurum cujus ſe in clientelam daret. Facile illi conſenſerunt in fœdera, quibus magnopere reſpublica augeretur. Et conſultus Cardinalis Portuenſis, idem ſibi placere reſponderat. Sed hæc conſilia in Marci exitium atrocior fortuna convertit. Matura enim erant fata, quæ perfidum & ſceleratum ingenium perditum volebant. Iamque Mediolanum pervenerat in hæc facinora quæſiturus clientes: cum ficto ad lætitiam vultu ingredientem Azo blande complexus eſt. Fere tamen non dubius, novas turbas daturum veniſſe, tacite cuſtodes adhibuit, qui actiones ejus ſpecularentur, & ad ſe comperta referrent. Ex quibus deinde cognoſcit, invidiam ipſi maledicendo quærere. Itaque in priſtina adhuc ſimulatione perſeverans, Lucinum & Ioannem patruos in conſilium adhibuit, deliberaturus quid faciendum eſſet. Placuit omnibus tollendum clam è medio. Compoſitis igitur inſidiis Azo, familiariter Marcum ad ſe invitat. Statuti autem in conclavi ſatellites corripiunt intrantem, eliſisque faucibus cadaver de feneſtra præcipitant, ut fortuitus exitus crederetur. Deinde famæ dari juſſit, ſubito furore correptum ſibi ipſi vim intuliſſe. Magnifica pompa funus elatum eſt; quod cum patruis ſequebatur Azo, in pulla veſte, vultu quoque mœſtitiam adumbrans. Non ignarus utique veritatem ad liquidum brevi emanaturam: ſed magnitudinem invidiæ quærebat effugere, quæ in recenti ſcelere ſemper atrocior, exuto horrore ſermonibus hominum deſinit frequentari. Has

Marcus pœnas amentiæ dedit, quàm Cæſari infidus, quem turpiter deſeruerat, tam ſceleratus in ſuos, quos alteris jam inſidiis petierat. Et ſane poſtea nemo fuit qui non jure cæſum diceret. Veritus tamen Azo ne tanquam parricida traduceretur ab inimicis, fœdus cum Cæſare contraxit. Leges dictæ: ut libera ipſi traderetur provincia. Præſidium ne cogeretur accipere. Decem aureorum millia in ſtipendium præfecturæ ex vectigalibus præciperet. Duodena aureorum millia menſtrua Cæſari præſtaret. Vexilla extra Germaniam efferentem, cum ducentis ſequeretur equitibus, ipſius ære militaturis. Eoſdem amicos inimicoſque ducerent. Injuriarum ne liceret meminiſſe. His promiſſis Cæſare mitigato, Pontificis quoque gratiam ſollicitavit, incertam fortunæ auram captans, qua in omnem belli exitum ſecurus redderetur.

Cæſar Papia, quo diutius ſubſtiterat, Cremonam profectus atque inde Parmam veniens Adolphum Rubeum in captivi fratris imperium ſubſtituit. Mœnia denique propugnaculis inſtruxit. Idem ut Mutinæ & Regii fieret ſedulo curavit. Quibus peractis Tridentum progreditur cum Gibellinorum delectis. Illo quoque Henricum Carinthium cum pleriſque Germaniæ Principibus convenire juſſerat.

*An.* MCCCXXX. Principio anni MCCCXXX Fredericus Auſtriacus fatis conceſſit. Conſtans fama eſt veneno ſublatum eſſe. Nobilis quidam cujus nomen non editur, benevolentia ejus exciderat; ad quam recuperandam philtrum in remedium adhibuit: eoque temere & intemperanter diluto, mortem illi propinavit. Tanta vis veneni fuit, ut pediculari morbo fœdaverit corpus, vel (nam utrumque traditur) dyſenteria diſſolverit.

Cæſar tunc Tridenti agendis conventibus intentus, de bello conſultabat quod proximo vere auctis viribus reſumi placuerat, cum mortis nuncius ad eum delatus eſt. Dilatis igitur ad tempus conſiliis in Germaniam ulteriorem feſtinat, ne quid novi molirentur Septemviri, alium ſibi æmulum objiciendo, diſſiparentque comitia ſi quæ indicerentur. In itinere autem revolvens in animum quantis ærarii anguſtiis premeretur, & quid futurum eſſet, ſi in hoc rerum articulo revocaretur ad nova bella, ignotum monachum obvium habuit; qui B. Mariæ ſtatuam obtulit ſollicito ex alabaſtrite fictam: adjecta oraculi ſorte ſi in honorem ejuſdem Virginis contubernium monachorum erigeret in Ampheringenſibus campis, omnia ipſi feliciter ſucceſſura quibus tantopere cruciaretur. Ergo in Bavariam redux, ſoluturus votum quod in via fecerat, explorat à ſuis, ubi eſſent illi cam-

pi,

pi, aut qua terrarum ſolitudine prodigioſus ille locus tegeretur. Nemine autem conjecturante, mittit ad circumjecta monaſteria qui ex monacho certiora requirerent. Cum & ille nuſquam appareret & præter ſpem accreſcens ærarium præſtaret oraculo fidem, Angelum fuiſſe credidit antiquitas. Veſtigari deinde locus cœpit à pluribus; maxime venatoribus, in ſaltus omnes inquirere juſſis, ſi quis eo nomine vocaretur. Ab Henrico Vendio venatore tandem cognitum eſt, inhoſpitalem plagam eſſe, in collibus ad Alpes vergentibus. Loco igitur ad accipienda ædificia aptato, Cæſar monaſterium impoſuit, & convenientibus opibus inſtructum Benedictinis incolendum dedit. Memorata autem imago in æde collocata, multis inclaruit miraculis, à populo religioſiſſime culta. Etalenſem Virginem nuncupant, quo etiam nomine Cœnobium dicitur.

NICO-

# NICOLAI BVRGVNDI HISTORIA BAVARICA, ſive LVDOVICVS IV. IMPERATOR.

## LIBER TERTIVS.

VT primùm Avinnionem appulere nunciaturi de Corbarii captivitate, Ioannes Pontifex à Piſanis oblatum, impoſitumqne navigio, ad ſe perduci juſſerat, cum militari præſidio, ne pulcherrima præda ab hoſtibus interciperetur. Cæſare enim in Italia nidificante, non ſatis tuto credebatur ibi poſſe relinqui. Poſtea vero quam productum videret à ſatellitibus in publicum conſiſtorium, reſti collo inſerta, proſtratumque in genua miſerabiliter ſupplicem recognoſcere errores ſuos, non potuit amplius cohibere lachrymas quas magnitudo gaudii expreſſerat. Haut dubie enim extinctum erat incendium quod concordiam Eccleſiæ diſſolvere cœperat, duraturum forte in multos annos, ſi Corbarius ex Italia profugus, potuiſſet in Germaniam pervenire. Hæc Pontifex ſecum expendens, & quàm prope infamaſſet ſæculum ſuum pudendo ſchiſmate, non immerito in lætitiam effundebatur; utique ſat conſcius, quàm peroſus ipſe multis eſſet in Germania, quaſque turbas epiſcopatibus invexerat, quaſque collationes laſſis ſacerdotum patrimoniis indixerat, quantum denique à Corbario differret, viro miti ac ſimplici, nec ejuſmodi affectibus obnoxio, quibus ipſe apud populum male audiebat. Itaque æmulo in carcerem projecto milites in cuſtodiam adhibuit, diligenter monitos, ne in colloquium ejus quemquam admitterent cum quo de fuga poſſet conferre. Denique per Germaniam codicillos ſpargi jubet, in queis continebatur illius confeſſio, quomodo culpam deprecaretur, quomodo ejuraſſet flagitia, in quæ à Bavaro fuiſſet impulſus. Sed & medio tempore novos hoſtes Imperatori quæſiverat, ut vexatus ille in Germania, cogitationem Italiæ à ſe abjiceret.

Duo erant reliqui Auſtriaci fratres, Albertus & Otto. Nam Henricum

ricum quoque immatura mors pridem abſtulerat. Hactenus illi cum Cæſare foverant conſtantiſſimam pacem, civilis belli diſcriminibus exempti. Sed jam ruptum erat vinculum, morte Eliſabethæ Bavaræ, quæ Ottoni nupta cum affinibus ipſum in concordia retinuerat. Denique Leopoldi potentia adauctus Otto, in fraterna odia cum hereditate ſucceſſerat, populumque in Pontificis reverentia continebat. Argentinenſem & Conſtantienſem epiſcopos pari fœdere ſibi obſtrinxerat. Per hos Pontifex Ottonem adortus eſt. Quinquaginta aureorum millia ſpondebantur ei in ſumptus belli, ſimul his neminem in Germania epiſcopum citra ejus conſenſum futurum. Pervicere illico inſtabilem mentem, præter favorem in epiſcopos pronum, tam magnifica promiſſa; non manſura tamen diutius, quam aut ipſe inſaniret, aut Pontifici expedire videretur. Præterea ex civitatibus Imperialibus incrementum aliquod potentiæ quærebat, quas Pontifex execratione percuſſas, occupantibus in prædam dederat. Hoc prætextu, his cauſis in bellum propulſus Otto, ſuis & epiſcoporum viribus Columbariam adoritur. Vrbs erat amiciſſima Cæſari, & pro fide toties obſidionem paſſa. Nec ignarus Ludovicus quantum rebus ſuis conduceret, protinus in Alſatiam ferebatur, Wittenbergicum Comitem ſecum habens. Quorum adventu territus Otto, obſidionem deſeruit, in tutiora ſe recipiens cum exercitu. Benefelda deinde à Wittenbergico capta eſt. Forte Ioannes Bohæmiæ rex Lituanis victis, in Tirolim iter habebat juncturus matrimonio filium Ioannem cum Margarita Carinthii filia. Iamdudum enim ſponſalia contraxerant. Audito autem Ottonis motu, ad Cæſarem divertit, paciſque leges proponere cœpit. Briſacum & Neoburgum Imperii oppida Ottoni traduntur, quantum ne victor quidem ſperare potuiſſet. Benefelda Argentinenſi epiſcopo reſtituta eſt. Kaiſerberga Bohæmo pignori ſubjecta, donec ei ſumptus redderentur quos Lituanico bello fecerat. Nec fallebat Cæſarem quantum ea transactione Imperio noceretur. Sed Pontificiis procellis expoſito pace opus erat, ne civili bello feſſa Germania, in necem ejus ſibi conſuleret. Albertum quoque Auſtriacum contagionem belli attraxiſſe comperio. Vtrum fratri auxilio adfuerit, an cum Cæſare hoſtilia cœperit, certo affirmare non poſſum. Pacis tamen tabulæ ſatis oſtendunt, peccatum ab illo fuiſſe aliquid, quod fœderibus aboleri placuerat. Leges autem ſunt iſtæ: Nemini fraudi eſſet ſtetiſſe in partibus; captivi invicem dimitterentur. Gundolfinga, & ſi quid præterea dolo malo Imperatori ſubtractum eſſet, redderetur ei. Econtra quoque Imperator ratum haberet, quidquid vel jure dominii, vel

pignoris poſſediſſent Auſtriaci ante ejus electionem. Si qui s Cæſari, vel Imperio, vel Auſtriacis bellum in Germania inferret, ſibi mutua præſtarent auxilia. Hoſtium tamen loco non haberentur Romana Eccleſia, Septemviri, & Bavariæ Principes, Dux Carinthiæ, Argentinenſis & Wurcenburgenſis Epiſcopi. Vtriuſque partis miniſtris æqua jura diſtribuerentur. Pacta inita cum Frederico à quibuſdam Septemviris electo, irrita eſſent, quatenus alterutrius damnum reſpicerent.

Iurgiis in eum modum finitis, Ioannes Rex cum Archiepiſcopo Trevirenſi & Ottone Auſtriaco maximam rem adorti ſunt. Compoſuerunt enim leges, quibus Cæſar Pontifici reconciliaretur. Vt Ludovicus abdicaret Antipontificem: ab appellatione ſua recederet: Quidquid hactenus molitus eſſet in Pontificem, Romanamque Eccleſiam, revocaret: fateretur ſe peccaſſe, & aſtrictum fuiſſe vinculis excommunicationis, eoque nomine veniam imploraret. Salvum tamen illi relinqueretur Imperium. Honeſtæ erant conditiones. Vtriuſque honori conſulebatur. Neque dubitabat rex ſi tractabile eſſet Pontificis ingenium, flecti poſſe ad concordiam. Quapropter miſſis litteris ſignificavit ei, iniiſſe ſe rationem cum Archiepiſcopo fratre, & Ottone Auſtriaco, qua funeſta finirentur diſſidia. Intellecturum brevi ex legatis, quibus mandata ſua committeret. Honori ejus nihil detrahi quantuscumque in tam perplexo rerum articulo haberi poſſet, ſervatum eſſe. Condonaret modo tranquillitati publicæ ſuas injurias. Et ſi Ludovicus fruſtraretur promiſſa, ultionem ſe expetituros. Pro certo interim haberet, nullo ſe privato reſpectu, ſed mero amore reipublicæ, in hæc deſcendiſſe conſilia. Male enim cum populo agi, ubi ſuprema capita inter ſe colliduntur. Prudentiores quoque facile conjicere quantum adhuc incendium conflare poſſit iſta tempeſtas. Deſtinati deinde ſunt legati Godefridus Comes Linangius, Simon Philippi equeſtris ordinis, cum Gerardo Pinchovio, & Nicolao Meſtorfio, quos Otto & Bohæmus delegerant. Pontifex conſilio advocato, intromitti eos juſſit, auditiſque quæ adferrent, nihil præterea adjecit, quam brevi ſe reſponſum daturum. Deinde codicillos legatis tradidit, perferendos ad regem, acerbitate pleniſſimos. Formula eorum eſt iſta.

Litteras tuas accepi cum mandatis, quæ fuſa oratione legati complexi ſunt. Credo equidem vos moveri nomine reipublicæ, & charitate ejus in hæc officia propulſos eſſe. Veruntamen exiſtimo non expenſum eſſe negotium diligenter à vobis. Nam ſi libraſſetis facinor-

Ludo

Ludovici in Eccleſiam, haberetis utique pro comperto, jure meritoque privatum qualicumque jure, quod conferre illi potuit diſcors electio. Nuper Marſilium Patavinum & Ioannem Iandunum Apoſtolicæ ſedi procaciter illudentes, ab Eccleſiæ conſortio proſcripſeram. Hos ille fugitivos ad ſe recepit, quo ingenii ſui virus licentius differrent. Hic Petrum Corbarium ſolio meo imponere ſuſtinuit, traditurum ipſi coronam Imperii, quam à nemine præter me, conſequi poterat. Quid ergo de illo ſperandum eſt, ad quem hæretici & proſcripti tanquam in aſylum confugiunt? qui in ſchiſma diſtraxit Eccleſiam? qui ſponſam Chriſti fœdiſſime violavit, ſpoliatis templis, profanatis ſacris, delatis infulis ad hæreticos, quas ſacrilega manu catholicis detraxerat? Iam vero quid dicam de Iacobo Veneto olim Caſtellonenſi epiſcopo? Quid de Michaele Cæſenate, Bonagratia & Occamo, qui Avinioni ſiſtere juſſi, violato ſacramento ad Corbarium defecere, meamque dignitatem aliis ſuper alias contumeliis concitant? Has ille viperas, hæc putrida membra, ab Eccleſiæ integritate avulſa, in contubernium ſuſcepit. Hi ſunt conſiliarii, qui in protervam amentiam incautum inſtigant. Quod ſi privatus tam magna peccaverit, quid facturum arbitramini, ſi legitima poteſtate tyrannum armavero. Non poſſunt habere mitem exitum formidoloſa principia. Creditam mihi Eccleſiam in diſcrimen conjiciam. Sub impio capite ſupprimetur religio. Innocentia ſubditorum ſita eſt in regnantium pietate. Talis populus qualis Princeps. Quidquid delinquunt faſtigia exemplo diffunditur, & ſuis moribus multitudinem inquinant. Egone Romanam Eccleſiam priora vulnera adhuc deflentem, novi periculi metu conficiam? Quis ſpondere poteſt ſecuram me gratiam cum illo poſſe reconciliare? Conditiones enim quas adfertis ſi accepero quid inde conſequar? Nulla præferunt pœnitentiæ indicia. Multum facturus eſt, ſcilicet, ſi Petrum Corbarium deſeruerit, deteſtantem errores ſuos, & à quo ipſe pridem deſertus eſt: ſi ab appellatione receſſerit, quam excommunicatus à me interpoſuit, qui ſuperiorem non agnoſco: Si acta ſua reſciderit, quæ ipſo jure non tenent: ſi confiteri paratus ſit à ſe peccatum eſſe, & execrationis vinculis fuiſſe obſtrictum, eoque nomine indulgentiam implorare velit miſericordiæ meæ, cum nullam omnino ſatisfactionem offerat. Quomodo poſſum nocentem abſolvere, priuſquam ablata reſtituat in tot ſcelerum pœnitentiam? Quin immo Imperium ſibi reſervari poſtulat. Quod eſt illud pœnitentiæ ſignum? Neſcit, ſane quid petat. Quærere enim libet, quo jure habiturus ſit diadema, veteri an novo? Dicet veteri?

R 2 non

non poteſt fieri. Nam totum jus ſi quod habuerit, legitima ſententia contumaci ablatum eſt. Dicet novo? canones vetant ſacrilegos, excommunicatos & tyrannos admoveri faſtigio. Profecto ſi reipublicæ conſultum vultis, aliud Imperio caput quærendum eſt. Ab illo enim homine nihil expecto niſi deteriora præteritis. Quem etſi finibus Imperii deturbare oporteat, utpote qui furore ſuo ſuperiorum ſæculorum flagitia excecſſerit: tamen ſi petierit ſupplex, non quomodo vult, ſed quomodo debet, relaturum eſſe gratiam ſpondeo. Communem enim me patrem memini; ejuſque vices in terris repræſentare, qui ſuas inter iras miſericordiæ nunquam obliviſceretur.

In hiſce litteris ſedulo caverat Pontifex vacantis Imperii mentionem inferre, ex qua tamen cauſa Bavarum devoverat. Iam enim in comperto erat, ejuſmodi novitatem cum legibus & moribus non convenire, explodique à populo. Et hinc plerique mirabantur, cur tantopere ſibi placeret in ſua excommunicatione, quæ ab initio lata ſine legitima cauſa, tractu temporis convaleſcere nequierat. Non defuerant quoque qui ſuaderent illi, detrahendum aliquid ſeveritati. Cauſam hanc eſſe ejuſmodi, in qua non de unius aut alterius periculo, ſed de ſtrage multitudinis ageretur. Majora mala quantolibet diſpendio bene redimi. Officium eſſe boni paſtoris, errantes oves in gregem colligere. Plures olim in Eccleſiam peccaſſe. Ante oculos poneret Fredericos Imperatores, & quam gravia illi deliquiſſent. Hac tamen ſatisfactione abſtuliſſe veniam, quod Pontifici genua ſubmitterent. Repeti à Ludovico Imperium. Quid à captivo amplius exigeretur? Vltimum eſſe calamitatis remedium de ſolio deſcendere ad aliena genua. Sed ad ſalubriora conſilia Pontifex occluſerat aures, dolorum ſuorum impatiens, & inexpiabili in Cæſarem odio, cui publici boni affectus ceſſerat. Sed & iras ejus Imperator acrius exaſperaſſe dicitur; quod exigente Pontifice decimarum decimas ad ſacrum bellum, interceſſerit ille in Spirenſibus comitiis, prætextum quæri dicens, quo pecunia iſta in ſuum exitium averteretur.

Cæterum in Italia, plus turbarum Cæſar quam invenerat, abſcedens reliquerat. Vndique factionibus laborabatur. Brixiam obſederant Scaligeri. Lucenſes à Florentinis premebantur. Ioannes Bohæmiæ rex tunc forte in Tirolis agebat, ad filii nuptias, uti dixi, profectus. Ad hunc illico Brixienſes miſere qui Henrici Septimi benevolentiam, & officia in illum ſua commemorarent, rogarentque in tutelam acciperet fidei ejus ſe credituros. Gratiſſima regi legatio fuit, falſaque ſpecie juvandi paternos clientes, invadendæ Italiæ occaſionem

nem

nem rapiebat. Sunt qui tradant, nec abhorret à vero, bellum hoc ſuſceptum à Rege, pactione inita cum Pontifice, ut ſubactas armis provincias inter ſe deinde partirentur. Cæterum expeditionem hanc inconſulto Imperatore, nec ſuſcipere poterat, nec expediebat. Petenti igitur regi, ut cum vicario imperio ad pacandam Italiam dux mitteretur, non modo Cæſar poteſtatem fecit, ſed & militem contribuit. Decem Bohæmorum millia habebat rex, tria in Carinthia conſcripſerat, cum ſub finem anni Italiam ingreſſus, Scaligeros ab obſidione dejecit.

Inde ſtatim in Bergomates movit; qui pervicaci Brixianorum odio Scaligeros in obſidionem propulerant. Iam vero deſtituti à ſociis, metuque torpentes, miſere fecialem nunciaturum Regi, paratos ſe deditionem facere, modo ne Brixianis hoſtibus ſubderentur. Ad ea rex, non ideo ſe veniſſe reſpondit in Italiam, ut jugum inferret: ſed ut ſublatis factionum nominibus, materiam ſeditionis exſtirparet, & ſub unum omnes imperium cogerentur. Bergomatibus ergo in deditionem acceptis, non cunctanter ad eum deſcitum eſt. Honeſtius titulus præferebatur Italiæ tranquillitas, cum interim urbes præſidiis occupatæ ſervitutem regiam acciperent. Iam Cremona, jam Papia, Parma quoque, & Regium & Mutina venerant in poteſtatem: cum Rex Apenninum tranſgreſſus ab obſidione Lucenſi Florentinos avertit, urbem eorum ſe petere ſimulans. Ergo cunctis ſuper vota fluentibus ſatisfactum bello exiſtimans, & cætera ex facili, ad Cardinalem Portuenſem Bononiam divertit. A quo prolixa humanitate exceptus eſt; mutuiſque ſe ſtrinxere amplexibus, & aliquot dies familiariſſime egere. Mirati Gibellini unde hæ blanditiæ, & quid portenderent, incertique quid ſperare, quid metuere inciperent, tandem in ſuſpicionem lapſi ſunt, Ioannem Regem ſimulatione partium ſtudere Pontifici. Nec minus Guelfi ad amborum benevolentiam paullo ante, ut rebantur hoſtium, ſtupebant. Bohæmum enim ferre non poterant, metu capti, ne in Henrici Septimi odia filius ſuccederet. Sic igitur Gibellinorum animi à rege, Guelforum à Cardinale averſi ſunt, cœperuntque ipſi inter ſe in medium conſulere. Suſpectiora omnia fecerat Caroli Bohæmi filii adventus; qui à patre in Italiam accitus, Regiamque Papiæ figens, in poſſeſſionem regni veniſſe ferebatur. Et ſtatim ille veneno tentatus eſt. Azo enim Vicecomes; in necem ejus quendam ſubornaverat callidiſſimum ad ejuſmodi flagitia. Hic emotæ mentis mutique oris ſimulatione, in Regia verſari ſolitus, & ſubinde culinariis adhibitus officiis, noxiſſimam tabem miſcuerat offæ,

MCCCXXXI.

 quæ

quæ jentaturo Regio juveni parabatur. At ille tunc forte cibo abſtinuit. Ea tamen peſte Henricus Comes Bergenſis & Simon Keylius & Ioannes Hochkirchius præcipui optimatium ſubito conſumpti ſunt. Nec dubitabatur de veneno, cum fanaticus ille ſuſpectus eſſe cœpit. Itaque in equuleum raptus, diu linguam in poteſtate habuit, in priſtina ſimulatione perſeverans. Poſtquam vero tertiùm torqueretur, cruciatus impatiens, edidit vocem, & de ſe atque Azone cuncta confeſſus eſt. Exhorruit Ioannes Rex ad ſceleris atrocitatem, Azoniſque perfidiam. Sed quia ultio immatura erat, ad diſſimulationem ſe coegit.

Interim Cardinalis Portuenſis Florentinorum indignatione admodum turbatus ad eoſdem litteras dedit blanditiis pleniſſimas quibus invidiam à ſe amoliretur. Significabat enim nullam ſibi amicitiam cum Ioanne Bohæmiæ rege, non ſuo, non Pontificis conſilio pedes intuliſſe Italiæ. Honeſte autem à ſe exceptum quo facilius ipſi imponeret. Renaldo Ateſtino idem ſcripſit. Sed difficile erat ſuſpicionem evellere ſibi aut libertati timentium. Quippe in contrarium facta, diſſimulationis vanitatem arguebant. Itaque hinc Robertus Neapolitanorum rex cum Florentinis; inde Vicecomites & Scaligeri, Gonzagæ quoque & Ateſtini poſitis odiis fœdus ineunt, quo in mutuam defenſionem fidem dabant, ſi quis bellum vellet inferre. Plerique non dubitabant in idem fœdus Cæſarem venturum, apud quem Gibellini Ioannem regem admodum ſuſpectum fecerant. Incuſaverant enim ſocias urbes præſidiis oneraſſe in ſuum ſacramentum adactas. cum Cardinale Portuenſi, cum Pontifice habuiſſe conſilia. Carolum filium evocaſſe in Italiam, qui Lombardiæ poſſeſſionem acciperet, tranſituram in hereditatem. In ſumma viam ſtruere ad diadema. Et ſane Imperatorem admodum attonitum uſque adeo perculerant, ut Bohæmum ille in publicis comitiis majeſtatis argueret. Huc accedebat Germanorum militum fuga; qui Bohæmi perfidia & tot Principum averſione commoti certatim domum revertebantur, cauſamque abſceſſus Cęſari reddebant quod Bohæmus deſciſceret in Italiæ regem. Iam ergo multum virium Bohæmo decreverat. Nam & auxilia ſua revocaverant Gibellini, & magno opus præſidio erat ut victæ civitates in fide retinerentur, ad ſpem libertatis accenſæ. Nec ignarus rex quam gravis Imperatori eſſet, ne augeretur diſſimulatione ſuſpicio, in Germaniam excurrere ſtatuit purgaturus crimina ſua, & pace Cæſaris impetrata, reparaturus in Bohæmia vires. Itaque Carolo filio Ludovici Sabaudi fidei commendato, cum octingentis equitibus iter in Bavariam inſtituit.

Impe-

Imperator tunc forte Ratisbonæ erat, cum ad eum perveniunt nunciaturi advenire regem, & cumipſo colloqui velle, modo aſſignaretur locus aliquis in quo ſecure poſſet conſiſtere. Vtriuſque conſenſu inſula in Danubio electa eſt, quam cum pauciſſimis familiarium intraverit. Appulſo Cæſari ad ripas Bohæmus occurrit, non conſcientia ſua, ſed Ludovici ingenio fretus, & fiducia eloquentiæ, qua plurimum pollebat. Itaque poſt mutuæ ſalutationis officia, ita loqui cœpit: Ægre mihi eſt, quod ea moleſtia majeſtatem tuam affecerim, ut in hanc inſulam deſcenderes. Officii mei ratio exigebat, genua tibi Ratisbonæ ponere. Sed quia multis inviſus ingratuſque ſum, qui bonitatem tuam in mei perniciem exſtimulant, haut injuria extimui ne plus inimicorum acerbitati apud te liceret, quam moderationi & manſuetudini tuæ. Cur tamen me majeſtatis reum in comitiis feceris, necdum hercule conjicere poſſum. Quod igitur perfidiæ adfertur veſtigium? Quid ambitioſe feci, ut regnum affectare videar? Cum Imperator retuliſſet argumenta, quibus ſuſpectus eſſe meruerat: vera ſunt iſta, ſubjicit rex: obteſtor tamen Numina, nihil à me factum eſſe, quod non contulerim ad incrementum ſalutemque Imperii. Vrbes in deditionem accepi, præſidiis firmavi. Si crediḍiſſem ſervaturas fidem,poteram ſacramento eſſe contentus, quod ſub nomine tuo à civibus exegeram. Sed quanta ſit gentis hujus inconſtantia, ipſe quoque ſæpe expertus es. Quam prope fuit,ut uno quoque agmine à te deficeret? Crede mihi cum iis nobis res eſt, qui nec pacem, nec bellum ferre poſſunt. Vbi arma noſtra præſentia timent, obſequium ſimulant: ſimul ac erga vertimus, ad ingenium redeunt. Et ego adhuc ſic cauſam ago, tanquam imperio tuo obedientes fuerint. Egregii clientes, ſcilicet, qui nos habent pro barbaris. Si venerabantur majeſtatem tuam, cur ergo portus mihi clauſere,quem auſpiciis tuis adeſſe noverant? cur ſollicitaverunt vicinorum auxilia, ut exercitui tuo armatos objicerent? Sed qua cauſa merueram apud illos pro hoſte haberi? nempe quia Brixianis opem tuli, quia Bergomates & Scaligeros ab obſidione ſubmovi. Hoc illud meum eſt facinus, quod impia defectione ulciſci voluerunt, ac me deinde in crimen ſubſtituere. Quaſi vero in majeſtatem deliquerim quod Brixianos ultro in poteſtatem concedentes, ſacramento tuo obſtrinxerim, quorum illi libertati inſidiabantur. An non utilius fuit eos Imperio, quam Scaligeris ſubjici? fideliſſimam olim operam præſtiterant patri meo, ut vel hoc ſolo nomine liberi eſſe mererentur ſponte ſua redeuntes ad corpus, unde eos ſuperiorum annorum tempeſtas avulſerat. Recte atque ordine feciſſent Scaligeri, ſi cognita

Bri-

Brixianorum voluntate deſtitiſſent ab obſidione. Sed illi ſibi non Imperio ſtudent, & quia libidini eorum injeci ſufflamen, torquent omnia in deterius, animumque tuum inanibus ſuſpicionibus onerant. Proclamant à me reſtitutos exules, quos olim dejeceras. Niſi hoc ex tacito tuo mandato fecerim, non curo defendere. Meminiſti cum me in Italiam mitteres, juſſiſſe te ut in ſolidæ pacis remedia inquirerem. Illud autem præſtare non potui, ſi in exilio relinquerem, paullo poſt reportaturos bellum. Et ſane ſi Italiam bona fide pacatam volumus, non ſolum factionum odia, ſed etiam nomina ipſa abolenda ſint. Eo enim prætextu Optimates inter ſe inimici & æmuli, dum ſibi quiſque potentiam quærit, ſerpunt in publicam pacem, & majeſtatem Imperii injuriis aperiunt. Dicerem plura in hanc ſententiam, & quid mei conſilii fuerit, ſed ad verum crimen perveniendum eſt, quod unum maxime obeſſe video. Habuiſſe coarguor cum Cardinale Portuenſi ſecreta conſilia. Sed quid cum illo egerim adhuc aliquis poteſt dicere? Ego nullius ſermonis habiti adverſus Imperium, mihi conſcius ſum. Cum viderem fortunam meam pleriſque ſuſpectam eſſe, credidi è republica fore ſi acerrima iſta & diuturna diſſidia inter Eccleſiam & Imperium tentarem componere, ut ſui cuique fines aſſignarentur, quos nefas eſſet deinceps excedere. Hoc enim modo futurum ſperabam, ut ſublata odiorum cauſa, & tu Pontifici facile reconciliareris, & in Italia ceſſaret factionum atrocitas. Id ego conſilium uni tibi adhuc aperui. Quippe apud Italos multa ſimulatione, multa diſſimulatione opus eſt, ut ad majora tranſitum facias. Reconditæ enim illæ calidiſſimæque mentes, ſuo aſtu capiendæ ſunt, alioqui fruſtra bello laboras. Obſervavi eos in omne genus obſequii deſcendere, ut tutiori fraude graſſarentur. Idque imitandum duxi. Et hinc mihi invidiam faciunt, atque innocentiam meam perfidiæ inſimulant, qui perpetuis ſuſpicionibus retenti, ex ſuis moribus cæteros æſtimant. In hæc conſilia Carolum filium in Galliam direxi, non ut illi molirer imperium, quod quidam fingere non verecundantur. Sed quid obſecro ad rem attinet, quod eundem reliquerim in Italia? An ſine eo poſſeſſionem regni, cui immineo, retinere non poteram? Acceſſivi ad me in Italiam, ut ſub paterna militia tyrocinium deponeret. Nunc in Germaniam feſtinaturus, tantiſper ibi juſſi ſubſiſtere, donec auctis in Bohæmia viribus, bellum referrem. Scio equidem quam gravis illis ſit filius meus, quem nuper veneno adorti ſunt, ſicuti patrem meum olim interfecerunt. Sed ego non curo ipſorum faſtidia. Potior mihi eſt reſpublica, pro qua invidiæ multæ ſuſtinendæ ſunt ad cla-

clavum ſedentibus. Nemo ita bellum gerere poteſt, ut omnibus placeat. Quanto quiſque felicior eſt tanto magis obnoxius obtrectantium telis. Magnis virtutibus invidia ſemper eſt comes. Pone obſecro hos metus, nec inanes ſpecies in animo imprime. Si pœniteat mei obſequii, ecce totam tibi poteſtatem reſigno. Revoca militem ex præſidiis, quem tuis auſpiciis civitatibus impoſui. Ego me deinceps tempeſtatibus ſubtraham, migraturus in regnum meum, ut propenſam erga te charitatem gratioribus miniſteriis expromam.

Imperator ſimulato captus obſequio, non modo abſolvit reum, ſed etiam aliquot dies cum illo hilariter conſumpſit in inſula. Deinde ambo rixas componere adorti ſunt Principum Inferioris Bavariæ. Mixtas illi hereditates diutius ferre non poterant, volebantque ab iſto nexu communionis diſcedere. Datis igitur arbitris provincia ita diviſa eſt, ut Henricus Stephani filius quem ſeniorem appellant Landishutum Strabingam & Schardingam acciperet. Fratri ejus Ottoni Burghuſium Oetinga & cum Traunſtanio adjacentes montibus terræ obvenere. Dingolfinga Landavium Chambium Vilshovia Dekendorfium Henrico Juniori datæ Ottonis regis filio.

Cæterum Bohæmum tot perfidiæ indiciis onuſtum, ſicut multi jure oderant, ita poſtquam abſolutum videre à Cæſare, atque inſuper prorogatum illi eſſe in Italia vicarium imperium, bello laceſſendum cenſebant, ut ab Italiæ cura avocatus, ad ſua tuenda domi retineretur. Furebat ante omnes Otto Auſtriacus, Bohæmi potentiæ creſcentis impatiens, quem denique fœderati in Italia turbandis rebus idoneum rati, non deſinebant impellere in armorum conſilia: pollicente Roberto Neapolitanorum rege, ſe Vngarorum Polonorumque auxilia curaturum. Quippe Robertus Caroli regis Vngariæ patruus regni ejus viribus pro arbitrio utebatur. Ladiſlai Poloniæ regis filiam uxorem duxerat. Et Ladiſlaus Bohæmo pariter infenſus erat, quod ille tanquam æmulus regni inter titulos ſuos uſurparet Poloniæ ſceptrum. Otto igitur auxilii certus, clam in Auſtria delectum habuit. Tendenti inde in Moraviam, quinquaginta Vngarorum & Polonorum millia acceſſiſſe traduntur. Incredibilis ſane multitudo, & quam à fama auctam exiſtimo, omnia in majus differente: magnum tamen fuiſſe numerum vel ex mendacio conjicies. Ioannes rex tunc iter habebat ad comitia. quæ Cæſar Norinbergæ indixerat: cum eum nuncius aſſequitur, irrupiſſe Auſtriacos, bellique incendio Moraviam flagrare. Itaque in Bohæmiam reverſus celeriter, citavit ſuos ad vexilla, contractiſque viginti quinque millibus peditum, mille & quingentis equiti-

bus, proceſſit in hoſtes. Sed illi ante pugnæ diſcrimen panico terrore correpti, effuſa fuga dilabebantur: ſtupente rege ad hoc monſtrum; qui non ſegniter perculſis inſtans, cum nullum amplius reperiret veſtigium tantæ multitudinis, Danubium præſidiis firmavit, atque in Galliam iter inſtituit. Tunc vero Ottonem puduit tam facile conceſſiſſe victoriam. Reparaturus itaque dedecus fugæ, captato tempore rurſus erumpit, & inſigni ſtrage Bohæmos profligat. Poſt hæc de pace agi cœptum.

Digladiantibus autem illis, Cæſar longe diſparibus curis intentus erat. Quippe à Pontifice pacem iterum flagitare ſuſtinuit, auctore Ioanne Bohæmiæ rege; qui ut perfidiæ ſuſpiciones facilius ablueret, hanc illi ſpem ſubjecerat. Aſſeveraverat enim Pontificem à criminatione jam recedere quam edicto ſuo complexus fuerat, & ſecuta tantummodo æſtimare delicta, eoque nomine oblata ſatisfactione poſſe mitigari. Legati igitur Avinnionem miſſi ſunt, Arnoldus Mumebachius canonicus Eyſtatenſis & Vlricus epiſtolarum Magiſter, cum his mandatis: Salvum ipſi ſervarent Imperium: Operam darent, ut fratres minores cum Marſilio comprehenderentur legibus tranſactionis, ſponderentque Pontifici redituros illos ad obſequium Apoſtolicæ ſedis, vel ſi conditionem detrectarent, aut deinceps aliquid committerent in Catholicam fidem, eoſdem ſe pro hoſtibus habiturum. Quod ſi exiſtimaret Pontifex purgata eſſe crimina edicto inſerta, pro ſecutis culpis moderatam aliquam & temporariam pœnam admitterent, in pœnitentiæ confeſſionem. Nunciarent illi, cum ab edictis ejus appellaret, proteſtatum ſe diſertis verbis, nec velle nec poſſe immiſceri controverſiæ, quæ de paupertate Chriſti moveretur. Repoſcenti titulum Imperii, tunc ſe renunciaturum dicerent, quando advenirent Pontificii legati, qui depoſituro reſtituerent, uſurumque ſe his verbis: Etſi pro comperto habeam Pontificis eſſe coronare Regem; alienis tamen ego auſpiciis ob ſubortas inter nos diſcordias inauguratus ſum. Verumenimvero ne quid Eccleſiæ detraham, vel jura ejus imminuere videar, abdico à me titulum Imperii, ut honorem illum à Pontifice ſuſcipiam. Suo denique nomine pollicerentur, ſacramentum ab anteceſſoribus præſtari ſolitum ſeſe dictu rum, ratificaturum jura & privilegia Eccleſiæ, contracturum fœdus cum Roberto Neapolitanorum, & Philippo Galliæ regibus. Liberorum ſuorum aliquem ex arbitrio Pontificis matrimonio daturum. Pecuniam exigenti nihil omnino in eam rem mandatum ſibi eſſe dicerent, ſatis tamen confidere qua benignitate uſurus eſſet Pontifex, eadem ipſum gratiam relaturum.

Litteras deinde Legatis tradidit Pontifici ſcriptas, in hanc ſententiam: Sæpe compertum eſt, conjunctiſſimas mentes occulta pravorum hominum invidia, falſisque ſtimulis in protervas inimicitias distrahi: ubi vero in aperto fraus eſt, & in medium proceſſit nuda veritas, hæc odia rurſus in amorem deſinere. Vtinam nobis idem contingat, quos eadem ars à ſe divulſit. Quid enim opus commemorare quam gravis illa ſit tempeſtas, quæ tamdiu diſcordes exercuit? quam Deo ingrata, quam pernitioſa hominibus? ut non longius abeam, præteritorum annorum diſcrimina documento ſunt. Exſpectanda quoque erunt triſtiora præteritis, niſi feſtinemus antevertere. Et quoniam mihi relatum eſt à legatis, quos nuper miſeram, non abhorrere te à concordia, quam & ipſe flagrantiſſime deſidero: non erit res difficilis, cum utriusque voluntates conſentiant. Tantum delibera cum prudentibus, qui multi te circumſtant, quibus me potiſſimum conditionibus placeat in gratiam recipere. Nihil eorum recuſaturus ſum, quæ ſalva dignitate facere poſſum. Daboque operam, ut præterita facta ſic compenſem, ne quid detrimenti ex hiſce diſſidiis ſenſiſſe Eccleſia, ſed ampliſſimum fructum reportaſſe videatur. Spondeo denique talem me futurum filium patronumque Eccleſiæ, de quo merito gloriari poſſis. Vale.

Sed non eo erat Pontifex animo ſicuti Ludovicus crediderat, ſimulatione Bohæmi captus. Reſponſum enim eſt Legatis, non eſſe veniæ locum, priusquam ille in pretium fœderis faſtigium deponeret.

Annus milleſimus trecenteſimus trigeſimus ſecundus agebatur, cum Inferior Bavaria rurſus commota eſt: ſcelerata cupiditate Henrici ſenioris; qui eo non contentus quod diviſionis ſors obtulerat, Ottonem fratrem & Henricum Iuniorem de bonorum poſſeſſione dejecit. Pulſi juvenes ad Cæſarem confugiunt, & fortunas ſuas apud illum deflent, nulla Henricum injuria laceſſitum, tanquam prædonem invaſiſſe provinciam; adactos ſe ad armorum neceſſitatem, tumultuario milite excepiſſe bellum. Cæterum meditato ſceleri jam diu invigilanti, nihil fuiſſe facilius, quam ſecuros, & nihil tale exſpectantes ſubita irruptione opprimere. Sæpius illum interpellatum fuiſſe, ut ſi quid vellet, jure ageret, aut ad arbitros res deferretur. Sed nihil æqui impetrari potuiſſe à furente, qui omne jus in gladio reponebat. Ludovicus eos bonum animum habere jubet, brevi, inquit, efficiam ut intelligat, quis ipſe ſim, & non impune ſecuritati veſtræ illuſiſſe. Collecto igitur exercitu inferiorem Bavariam ingreditur, urbes in deditionem accipit, tum quæ in erciſcunda familia rebelli obvenerant, tum quæ An. MCCCXXXII.

ad illum defecerant. Præcipuus labor ad Stranbingam fuit, quo ſe cum militibus Henricus receperat, quam cum duorum menſium obſidione Cæſar fatigaſſet, Ioannes Bohæmiæ rex generi ſui fortunæ miſertus, pro eo deprecari cœpit. Dies igitur Norinbergæ condicta eſt, ubi de concordia ageretur. Quo cum ventum eſſet, pacem ea lege percutiunt, ut in eum ſtatum cuncta reſtituerentur qui ante tumultum fuerat, rixarumque cauſas Imperator jure vel tranſactione dirimeret. Actum ibi quoque eſt, ut Cæſaris filio Bohæmi nata jungeretur: ut Ioannes rex Avinnionem concederet, Cæſari Pontificem mitigaturus. Deinde Ludovicus & cum Trevirenſi Bohæmus inito fœdere, in mutuam defenſionem fidem obſtringunt. Omnibus ad reditum comparatis, Imperator diſcedentem regem Paſſavium comitatus eſt, atque ibi cum Auſtriacis fratribus in gratiam reduxit. Arbitros præterea conſtituit, qui in Principum Bavariç controverſias inquirerent, juſſos deinde ad ſe referre. Henrico vero juniori perſuaſit ut cum Ottone communionem redintegraret, ſicut ante diviſionem habuerant, quod regendi curis impar videretur.

Sub finem anni Bohæmus ad Pontificem contendit, iturus inde in Italiam. Additi ſunt à Cæſare legati, Halſius & Oetingenſis Comites, quibus etiam Otto Auſtriacus preces ſuas pro Ludovico commiſerat. Sed habita deprecatio nihil valuit. Ne tamen Pontifex ad omnia durus videretur, hactenus Bohæmo detulit, ut ſoluturum ſe utriuſque liberos à vinculis excommunicationis promitteret, ſi quando ad matrimonium tranſiretur. Sunt qui Ioannem regem prævaricationis inſimulent, quaſi cum Pontifice colluſiſſet, nolletque abſolutum Cæſarem, ne ſecurus ille & liber affectanti Italiæ diadema jure poteſtatis intercederet. Nec à moribus ejus recedit. Quippe ingenio verſuto & callido, inſigniſque diſſimulandi artifex, jam non ſemel inſidioſa benevolentia bonitati Ludovici illuſerat. Multiſque id ſuſpectum fuit, quod non prius in Italiam quam à Gallo decederet. Conſtabat enim Pontificem obnoxium Gallo, & per Gallum maxime ſtare quo minus Imperator abſolveretur.

An. MCCCXXXIII. Poſtquam autem Bohæmus in Italiam appulit, longe aliam ibi rerum faciem quam putaverat, invenit. Fœderati enim arma induerant, novis delectibus auxerant copias, producta in campum vexilla erigebantur; utique poſtquam Cardinalis Portuenſis auſus eſt Ferrariam obſidione premere Armeniaco duce, cum ala Narbonenſium equitum & ſexcentis leviter armatis recens ex Gallia advecto. At ubi ille prælio victus, fugam corripuit, validiſſima oppida regi detracta ſunt, totaque

Lom-

Lombardia ceſſiſſet in poteſtatem, ni ſuperveniens hiems ſolito aſperior, coegiſſet victores ſecedere in hyberna. Quatuor adhuc urbes in ditione habebat rex, Parmam, Mutinam, Lucam & Regium. Sed par non erat fœderatis alacritate & viribus, qui huc illuc bellum ſpargendo, totam propemodum Italiam in conſenſum attraxerant. Itaque in deſperationem actus, fortunamque adverſam & dedecus timens, de abitu cœpit cogitare. Ac ne ipſe neceſſitati cedere, ſimiliſque fugæ reditus videretur, præmiſſo in Germaniam filio, jactavit ſe Eccleſiam cum Imperio ad pacem & concordiam revocuturum. Parma deinde Marſilio Petroque Roſſenſibus commendata, Mutinæ & Regio præſidiis impoſitis, in Bohæmiam ſuam revertitur. Hunc finem habuit Regis aviditas; dum totum concupiſcit, totum perdidit. Succeſſu enim temporis Parma Scaligeris ceſſit. Regium Gonzaga corripuit. Mutina Ateſtinis permiſſa eſt. Lucam vero Florentini habuere. Ad extremum quoque Pontificium imperium Bononia excuſſit.

Dum hæc in Italia geruntur, Imperator interim execrationis impatiens, & cum Pontificem ex adverſo obſtinatum videt, redempturus animi tranquillitatem, inſignia Imperii deponere conſtituit, & in Henricum Bavarum transferre. In hæc conſilia, trepida quorundam ſuperſtitio pietatem ejus traduxerat. Et ſane nemo Principum ejuſdem ætatis, majorum ſacra reverentius coluit. Nemo in religioſos propenſior fuit. Vix ullum eſt in Bavaria monaſterium quod liberalitatem ejus non ſenſerit. Canonicorum collegia pari benignitate non fovebat, diſſolutioni morum infenſus, qua tunc fœdabant Eccleſiam. Fertur aliquando dixiſſe, etſi haberet montes aureos, ne obulum quidem illis daturum. Quidquid de Antipontifice peccavit, alienæ magis circumventioni quam ingenio ejus imputandum eſt. Sed redeamus ad propoſitum. Conſcriptæ igitur tabulæ ſunt quibus Henrico reſignabat faſtigium certis conditionibus aſtrictæ: ne fas illi eſſet mortalium cuiquam indicium facere de abdicatione, priusquam ipſe à Pontifice abſolveretur: & ſi veniam impetrare non poſſet, nullum pactum eſſe volebat. At ille inconſulta levitate, tantum gaudium ſolus non ferens, temerare ſtatim ſuſtinuit tam grande ſecretum. Et non cunctanter fama Germaniam invaſit ejuraſſe Cæſarem Imperium. Pleriſque indignantibus quod conſtantiam, quam tot bella non fregerant, quod pulcherrimum victoriæ præmium qua æmulum devicerat, poſt tot denique labores & diſcrimina, vano conſcientiæ ſtimulo ictus, ad inimicorum ludibrium dejiceret. Quid, ajebant, acie victus, & captivitati traditus, amplius faceret? Quantam illam Pon-

tificis ſuperbiam, quàm torvum & inhumanum ſupercilium, quàm arrogans & imperioſa vox, depone Imperium aut te devovebo, & prius quam depoſueris non abſolvam. Nihil ſimile viſum, nihil tale auditum. Multos Imperatores fuiſſe excommunicatos, qui deteriora deliquerant; nunquam tamen eo furoris perventum eſſe, ut juberentur ponere diadema. Credidiſſe anteriores Pontifices ſatis pœnarum dare faſtigia, ſi genua ſubmittere cogerentur. Ludovicum toties ſupplicem, & duriora facere promptum, non admitti ad veniam niſi exiret de imperio, prope incredibile videri. Quod ſi fulminibus tantum liceat, quærendum deinceps à Pontifice quem velit Cæſarem eſſe. Fruſtra inſtitutos Septemviros, ſi comitia non ſufficiant. Cæterum amici Cæſaris (quippe ea res pauciſſimis adhibitis peracta in ſecreto erat) ad hos rumores ſtupebant, & tanquam inani ſomnio circumamicti, non audebant inducere in animum. Aſt ubi fama ad liquidum perducta eſt, hortari illum magnopere cœperunt ne tantum flagitium admitteret. Non enim, inquiebant, tui juris eſt, quem velis ſucceſſorem eligere. Accipiendus eſt à Septemviris. Vbi vacuum ſolium tuo deſcenſū effeceris, agent illi partes ſuas. Et quantum illud periculum? Forte ſucceſſorem accipies, qui ſubmovebit te ab oculis ſuis exulare juſſum, aut captivitati traditum mœrore carceris conficiet. In Bonifacio octavo Pontifice maximo recens habemus exemplum. Nunquam Principes æquo vultu infra ſe vident, qui de faſtigio excidere. Semper enim in anxio ſunt, ne ad fortunam ex pœnitentia regreſſum faciant. Neque hæc tui cauſa tantum dicimus. In viliſſimam ſervitutem detrudes Imperium, quod in ſinu tuo reſpublica depoſuit. Trahetur deinceps in exemplum, ſi hanc licentiæ viam aperueris. Inanes ſunt ſpecies quas boni quidem monachi, ſed intempeſtivè pii ac ſimplices rebuſque gerendis inepti, in anxio animo tuo figurant. Quaſi vero pacem Numinum habere nequeas, prius quam tuo ſanguine indomitam Pontificis libidinem exſatiaveris. Ille te ad juſtas inimicitias compulit. Modeſtiam tuam concitavit ſuis diris, quas neque Superi neque homines probant. Si quid peccaſti in Eccleſiam imprudentia lapſus es. Abunde tamen ſatisfactum Deo exiſtima, quod toties ſupplex & dignitate ſalva, quidvis ſubire paratus, errores tuos in confeſſionem pœnitentiæ revocare obtuleris, & quod peccatum eſſet emendare. Perfeciſti quantum in te eſt: Immo quantum pœnæ ſatis eſt. Implacabile Pontificis ingenium pacem Numinis excludere non poteſt. Altiores igitur ſpiritus gere, & majorum tuorum magnitudine dignos. Puſilli animi eſt ad deſperationem agi ex ſuperſtitio-

nis

nis ingenio, nimiſque ignominioſum tanquam prædonem de poſſeſſione regni decedere, veluti ad prætoris imperium. Ne privati quidem patienter ferunt de magiſtratu quem precario obtinent, dejici. Famuli quoque mehercule noſtri contemptum domini fuga vindicant. Æquo animo, ſcilicet, feres ad alienos pedes abjici, qui adoranda genua præbere conſueviſti. Erubeſces ad memoriam fortunæ præteritæ, & præſentis humilitatem. Nec minus poſteri verecundabuntur, quoties in imaginem tuam reſpicient. Necdum tamen de venia deſperatum eſt. Multa adhuc incidere poſſunt ut etiam ultro ad pacem ſolliciteris. Supra nos Deus humana negotia curat. Sæpe ex transverſo fit quod minime exſpectes. Gravem eſſe Pontificem annis, nec ſemper anteceſſorum odia ſucceſſores excipere. Hæc & ejuſmodi ingerentibus Imperator aures ſuas aperuit, revocavitque mandatum.

Per idem tempus Henricus Iunior Dux Bavariæ fatis conceſſit. Henricus ſenior hereditatem ejus corripuit, excluſo Ottone, qui in ſucceſſionis partem admitti volebat. Hinc nova jurgia inter fratres in bellum exitura videbantur: cum Cæſar & Bohæmus interceſſere rixantibus, actoſque in veſaniam diviſere. Otto præter veteres inimicitias, hac injuria acriter accenſus, bonorum ſuorum heredem præterito fratre Cæſarem inſtituit. Quippe nihil liberorum tulerat. Vxori autem Richardi Iuliacenſi viginti librarum millia præſtari juſſit.

Deinde & Ioannes Pontifex elatus eſt. Benedictum Duodecimum ſucceſſorem accepit, humili & ſordido genere natum. Erat enim molitoris filius. Cæterum natalium vilitatem doctrina & virtutibus redemerat. Tunc vero Ludovico Imperatori præter exſpectationem magna ſpes concordiæ affulſit. M.CCC XXXIV.

Quippe inter Gallum & Pontificem exorta eſt gravis ſimultas. Petebat enim Philippus Rex, ut vicariam ipſi poteſtatem per Italiam Pontifex concederet: filio autem ejus Arelatenſis regni titulum deferret. Vt fas ipſi eſſet toto decennio decimarum decimas per Chriſtianum orbem indicere in ſacrum bellum: ut theſaurus Eccleſiæ ei traderetur quem Ioannes Pontifex reliquerat pulcherrimum. Ad hanc inſolentiam Pontifex obſtupuit. Nec enim fallebat eum quantum nefas ſub honeſto titulo flagitaretur. Italiamque eſſe quam Eccleſiæ nervis ſubigere cogitaret ſpecie transmarinæ pietatis: ac ſub titulo regni Arelatenſis uſurpare velle poteſtatem in Imperi clientes. Cum igitur pervicaciter negaret quod ſine ſcelere concedi non poterat, minisque Philippi percelleretur, Ludovicum Bavarum in integrum reſtituere M CCC XXXV.

cogi-

cogitavit, quem furoribus Regiis objiceret. Nec diu latuere Cæſarem hæc conſilia, ſedulitate eorum quos ſemper habebat in Curia familiariſſimos. Improviſa igitur lætitia exundans Pontificem mature ambire conſtituit. Miſſi igitur ſunt Legati, conditiones flagitaturi quibus in gratiam reverteretur. Nec diſſimulavit Pontifex gaudia ſua ad dejectas Legatorum preces, ſimul lectis epiſtolis quas Cæſar modeſtiſſimas ſcripſerat. Habito igitur conſilio cum purpuratis, tabulas concepit in hanc ſententiam. Conſueta anteceſſorum obſequia Ludovicum Pontifici delaturum. Quidquid in Ioannis vigeſimi ſecundi aut Eccleſiæ injuriam feciſſet, reſciſſurum. Nullam fore ſententiam quam Henricus Septimus adverſus Robertum regem & Florentinos pronunciaſſet. Donationes factas in diſpendium Eccleſiæ, & ſi quid præterea ſub prætextu tituli Imperatorii geſſiſſet, irritaturum. Injurias publicas, ſive privatas Romanis Regibus aut Imperatoribus ab hinc retro quinquaginta annis illatas, fas eſſet Pontifici intra ſpacium biennii remittere, lites & ſententias abolere, pœnaſque inflictas revocare. Nihil eorum quæ Henricus Septimus codicillis ſuis Pontificii juris eſſe aſſeruiſſet, retenturum, occupaturumve. Non vindicaturum Siciliæ regna, non Sardiniam, non Corſicam. Neminem eo nomine perſecuturum, aut accepturum in clientelam. Non aditurum Romam injuſſu Pontificis. Inaugurationis cauſa evocatum, eadem die exiturum, ni juſta cauſa impediretur. Abſque venia Pontificis non iturum in Italiam, non miſſurum eo armatos. Si quando autem in eam rem auctoritatem impetraſſet, protecturum terras Eccleſiæ, nullam in his uſurpaturum juriſdictionem, nullum detrimentum daturum. Si quid damni illatum fuerit, reparaturum intra dies ſexaginta. In eam rem exacturum à præfectis ſacramentum, cum ſatiſdatione. Daturum operam ut Germaniæ Principes juramento ſpondeant, ulturos ſe perfidiam ejus ſi conventionis hujus leges transgrederetur. Contracturum fœdus cum Roberto Neapolitanorum Rege, affinitatem quoque, ſi Pontifici è republica videretur. Vicariam illi poteſtatem mandaturum in Italia.

*An.* M CCC XXXVI. Has conditiones, etſi pleriſque indecoræ viderentur, Cæſar tamen ratas habuit. Ad perferendas eas Legati dicti, duo Oetingenſes Comites Lodovici nomine. His additi Henricus Siphingus Commendator Teutonici Ordinis, Eberhardus Tumovius Archidiaconus Auguſtanus, & cum Marquardo Randeckio ejuſdem urbis canonico, Vdalricus epiſtolarum Magiſter. Hi à Cæſare profecti, cum veniſſent Avinnionem, in publicum Conſiſtorium admiſſi ſunt. Randeckius pro

Cæſa-

Cæſare verba fecit. Oratio edita non eſt. Stupuiſſe tamen traduntur ad facundiam, non modo Purpurati, ſed qui præterea in conſilio aderant. Raptus quoque in admirationem Pontifex cum reſponderet legatis in Germaniæ laudibus hærens, hæc inquit provincia majoribus noſtris digna viſa eſt, cujus fidei tutelæque Romana Eccleſia bene crederetur. Sed nobiliſſimum hunc ramum, iniquitas temporum de ſuo trunco propemodum avulſit. Curandum eſt ut iterum coaleſcat, gratulorque Ludovicum idem velle; qui terrarum omnium nobiliſſimus Princeps, modeſtia ſua promeruit, ut in materno gremio Eccleſiæ refoveretur. Nam & Fredericos olim acerrimos hoſtes, non dedignati ſunt anteceſſores noſtri in pacem recipere. Habendus eſt Eccleſiæ patronus, dandum Imperio caput. Dum nos cum Bavaro inutiliter collidimur Italiam interim occupavere tyranni. Armeniam non modo impii Saraceni poſſident, ſed etiam ad nos tranſitum minantur. Ne diutius igitur ſine rectore fluctuet reſpublica, ego illum ſententia mea propediem abſolvam. Tanta pollicitatio lætos legatos, plenoſque bonæ ſpei fecit. At procedentia tam feliciter initia, ſubitus turbo & unde minime timebatur, diſcuſſit. Quippe Gallus & Neapolitanus à ſuis admoniti hoc agi, ut Ludovici gratia repeteretur, illicò miſere legatos, qui Pontificem deterrerent ab ejuſmodi conſiliis. Abſoluto enim Bavaro poſtulata Galli ſubſidebant in cineres. Simul etiam decollata ſpes erat Italiæ, quam ſub prætextu belli ſacri ipſe & Neapolitanus cum Bohæmiæ rege adoriri ſuſceperant. Et hinc Philippus Galliæ rex tam iniquus ſemper in Cæſarem extitit, ut eum abſolvi nollet. Nam ſub ſpecie vacantis Imperii, in eas ſpes nitebatur, ut vel faſtigium ſibi adjiceret, vel de finibus ejus aliquid libaret auctore Pontifice, quem habebat in poteſtate duriſſimis compedibus adſtrictum.

Forte cauſa Cæſaris agebatur, cum legati regii ſuperveniunt, cœperuntque ambire Cardinalium limina, quos conſiliorum arbitros Pontifex habuerat. Deinde in conſiſtorium recepti, indignum eſſe vociferabantur, quod præteritis dominis ſuis, Chriſtiano orbi hæreſiarcha imponeretur. Credituros enim homines hæreticorum patrocinium Pontificem ſuſcipere. Rogante Benedicto, an ergo Imperium everſum vellent: eadem protervia retulerunt, ſe nec impugnare Imperium, nec eo fine miſſos eſſe, ſed ut Bavarus arceretur ab ea poteſtate, qui tam atrocia in Eccleſiam peccaſſet. Immo, inquit Pontifex, nos in illum potius peccavimus. Provocatus fecit, quidquid fecit. Si anteceſſor noſter tam facilis fuiſſet ad veniam, quam ille ad

pœnitentiam, veniſſet ſe proſtratum ante pedes ejus baculo innixus. Ego me communem parentem eſſe memini. Non eſt ex officio patris repellere à ſe pœnitentes filios. Revocare potius debeo errantes, Chriſti exemplo, cujus vices in terris repræſento. Reges autem veſtros à Bavaro ſecuros eſſe jubeo. Opimiores conditiones impetrabo à ſupplice, quam à captivo poſſem exprimere. Dum regii legati nihil de pervicacia remitterent, traherentque tempus ludificando, Philippus interim Rex Cardinalium beneficiis manus injecit, fructuſque ſequeſtrari juſſit. Ea res à Cæſare avertit omnium animos qui cum Pontifice ſteterant.

Iam quoque Bohæmiæ Rex nonus hoſtis Ludovico acceſſerat. Cauſa autem hæc erat. Defunctus ſuperiori anno Henricus Carinthiæ dux & Tirolenſium Comes, unicam reliquerat natam Margaretam, agnomine Maultaſchiam, Bohæmi filio, uti dixi, nuptam. Hæc à paterna fortuna legibus removebatur; & nemo amplius aderat ex agnatis. Bohæmus itaque apud Cæſarem inſtare cœpit ut in filium vacans transferretur hereditas. Imperator autem ſive potentiam illius in terrorem creſcere vereretur, ſive quid aliud obſtaret conſiliis, Carinthiam Auſtriacis attribuit. Sunt qui putent cum Auſtriacis conveniſſe, ut Carinthia illis tradita, ipſe ſibi Tirolim reſervaret, mutuiſque viribus parta tuerentur. Ioannes Rex à Carinthiæ ſpe dejectus, cum nec Tirolis filio traderetur, ſuas, ut credebat, injurias armata manu conſtituit vindicare. Aderant illi Vngariæ & Poloniæ reges, quos Robertus Neapolitanorum Rex in auxilium impulerat. Nec Cæſari vires nec Auſtriacis deerant. Goritiæ Comitem in ſocietatem attraxerant Ludovicus Brandeburgenſis cum copiis veniebat. Cum his conſentiebant Lombardi; qui Bohæmum clam ſuſpectum, & ſi bellum illi proſpere ſuccederet, tranſiturum in Italiam verebantur. Henricus dux Inferioris Bavariæ hinc inde ſollicitatus in partes, fluctuanſque conſiliis, Cæſari tandem ſacramento pollicitus eſt, medium ſe fortunam belli ſpectaturum. Sed paullo poſt in perfidiam verſus, Bohæmo quoque ſe applicuit; vetere in Cæſarem odio, vaſtiſque à ſocero promiſſis ineſcatus. Primum Regum impetum Goritius Comes excepit. Nec ferociam eorum Otto Auſtriacus ſuſtinuit, variisque cladibus attritus eſt. Donec citeriorem Auſtriam relinquens hoſtibus in prædam, trans Danubium ſe conferret. Hoc rerum ſucceſſu Bohæmus tumens miſſis Avinnionem litteris ad purpuratos, non immodice fortunas ſuas extollere cœpit; proſtratum eſſe Ludovicum, aliumque brevi Imperatorem viſuros. Ea res Ludovici ſpem in Romana

mana curia funditus deſtruxit. Siquidem Cardinales hautquaquam dubii, vera eſſe quæ tanta vanitate jactabantur, auctores eſſe Pontifici cœpere ne Bavarum ad veniam admitteret. Abſolvi enim non poſſe ſine tot Principum offenſa qui in necem ejus conjuraſſent. Non expedire denique Apoſtolicæ ſedi, habere Imperatorem prælio fractum, deſtitutumque à ſuis, & jam incertum quo ſe poſſit ſecure recipere. Ergo tot laceſſentium vocibus Benedictus impar, Cæſarianos legatos redire domum jubet, ampliori deliberatione opus eſſe dictitans. At medio tempore fortuna Bohæmi nutare cœperat. Filium ejus Carolum Tirolenſibus Alpibus clauſum hinc Bavari Suevique, inde Italiæ Principes laceſſebant. Septem cataphractorum millia habebat Ludovicus; qui per varia diſcrimina ad martem durati, vulgo etiam invicti ferebantur. His ille copiis in Carolum Vngariæ regem invehitur, trepidumque ac regno ſuo metuentem, in Vngariam fugere compulit. Inde in Bavariam Inferiorem impetum facit, agros urit, oppida vaſtat. Henricus dux vires ſuas venienti objecerat. Sed tot veteranis par non erat. Itaque ad extrema propemodum redactus, ſocerum advocat in auxilium. Ille tum forte pari ferocia in ſuperiori Bavaria debacchabatur, cum ad eum perfertur quanto in periculo gener verſaretur. Verſis igitur ſignis Inferiorem Bavariam ingreditur, & haut procul Landavo ad Iſeram amnem ſtatuit caſtra; in cujus ulteriore ripa Cæſar conſederat, paratus & ipſe ad prælium. Sed non poterant committi acies, deterrente fluminis magnitudine, ponteſque ad tranſitum deerant. Stabat ergo utraque acies nihil aliud quam ſe mutuo intuens, donec fames caſtra invaſit. Cæſar inde ad populationem agrorum effuſus, quia prior moverat vexilla, viſus eſt hoſtibus ſpeciem fugæ præbuiſſe. Bohæmus mimica victoria inflatus, ſuperbiſſimas iterum litteras Avinnionem dirigit, ſignificans purpuratis, ni ſaluti ſuæ Bavarus turpi conſuluiſſet fuga, captum ſe aut cæſum ante pedes Pontificis fuiſſe projecturum. Id cum Benedicto Pontifici magno Cardinalium gaudio referretur; ille modico riſu diductus, & ego, inquit, putabam jampridem tutum exilio locum quærere. Necdum ergo ſucceſſorem accepit? Credite mihi, Sol ille Germaniæ allatrari poteſt, nemo tamen cælo ſuo affixum detrahet. Lucet adhuc ad æmulorum invidiam, oculoſque eorum fulgore ſuo acrius perſtringet. Volutabat interim ſe Bohæmus huc illuc, ut & Cæſarem arceret à populatione, & ſi quà poſſet damnum illi inferret Sed non ſufficiebant ad omnia vires. Carolum enim filium cum Tirolenſium copiis in Bavariam deſcendere juſſum, Ludovicus Brandeburgenſis à tranſitu repulerat. Tunc frangi cœ-

cœpit ferocia regis. Quippe per tot populationes nihil ad ſummam rerum profecerat. Res ejus in Alſatia funditus perierant. Kaiſerenbergam nuper illi pignori traditam occupaverant Auſtriaci. Quidquid ibi reliquum erat dato terrori ceſſerat. Cæſar denique invadendæ Bohæmiæ ponebat conſilia. Iamque timere ſibi cœperat rex, petebatque Ludovico reconciliari. Cum idem Cæſari placuiſſet conceptæ ſunt fœderis leges, quibus Tirolis Bohæmi filio, Carinthia autem Auſtriacis relinqueretur. Ad hunc nuncium non modo Pontifex exhilaratus eſt, ſed in Bavari laudes præterea effuſus, vanitatem purpuratorum irridere cœpit, qui tam puſilla de illo ſenſerant. Paullo poſt legatos ejus benigne habuit.

Poſtquam enim intellexiſſet Cæſar, quantum turbarum Conſiſtorio intuliſſent Francorum legati, & cum his purpuratorum multi Philippo Regi obnoxii, ſibique nihil magis obfuiſſe ad veniam, quam quod tanquam hæreticus traduceretur ab inimicis, purgaturus tam iniquam accuſationem, Guilielmum Comitem Iuliacenſem, & Rupertum Comitem Palatinum nepotem ex fratre, ire ad Pontificem juſſit cum his codicillis.

Multa mihi objici comperio quæ bonitatem tuam à dirarum abſolutione retardant. Quæ ſi tam candide ad aures tuas perveniſſent, quam ſimpliciter geſta ſunt, contentus eſſe poſſes pœnitentia mea, *hac ſatisfactione* lenitus, quod ante pedes tuos ſupplex jaceam. Hautquaquam inficior diſtractam eſſe in ſchiſma Eccleſiam operâ meâ. In creationem Antipontificis conſenſi. In Eccleſiaſtica bona poteſtatem illi dedi. Vt à populo coleretur, mandavi. Sed ſi verum audire vis, hujus culpæ Ioannes Pontifex cauſa eſt. Cum viderem caput meum injurioſe voventem atrociſſimis edictis, ac diadema repetere, quod legitima mihi ſuffragia contulerant, volui illi reddere vices, eademque protervia dignitati ejus illudere, qua prior ipſe meam proſcripſerat. Scio equidem perperam factum; nunquam tamen in mentem venit, damnari anathemate, qui hanc in Pontificem licentiam uſurpant. Perſuaſerant enim mihi Romani, Imperatoribus etiamnum licere, quod olim eos feciſſe audiveram. Cæterum quid peccaverint in fidem Mediolanenſes Vicecomites nec olim ſcivi, nec adhuc ſatis conjicio. Adjuvi illos pecunia & viribus, quod officii mei eſſe crederem, clientes Imperii ab omni injuria ſecuros præſtare. Atenim fratribus minoribus aſylum aperui. Quis mihi vitio vertere poteſt, quod hominum opinione clariſſimos viros, in conſilium adſciverim, ut jura Imperii tuerentur? Paſſus ſum illos à decreto Apoſtolicæ ſedis

appel-

appellationem interponere, ne viderer ipſe ab eadem ſede temere provocaſſe, ſi non & idem aliis concederem. Si quid autem in fidem peccaverint, ſi Pontifici maledixerint, ſi decreta ejus procaci ſtylo impugnaverint, ipſorum culpa ſit, non mea. Ego enim proteſtatus ſum, ratum me non habiturum ſi religionis integritatem violarent. Nunquam me immiſcui controverſiæ de Chriſti paupertate. Quippe ſatius eſſe ducebam, in fidei articulis, auctoritati Pontificis Purpuratorumque accedere quam privatorum judiciis. Quin immo cum ejus rei illata eſſet mentio in appellationis meæ tabulis, deleri juſſi. Sunt qui me coarguant, quod in iiſdem tabulis Ioannis Pontificis famam proſcripſerim. Audio enim quædam circumferri malignius ſcripta, & hanc in me invidiam inclinari. Sed hoc quidquid eſt, meum crimen non eſt. Henrici Groildonis publici tabellionis prævaricationi & malivolentiæ imputes oportet, qui impia manu ſacrilegium auſus, tabulas meas veneno imbuit, iras ſuas ulturus, quas in me occultas conceperat. Voluit enim excitare incendium, quod nulla poſſet ætate extingui. Hoc de ſe moriens confeſſus eſt, madentibus oculis in pœnitentiæ ſignum, ne quis dubitare poſſet de flagitio. Iam vero de Marſilio Patavino & Ioanne Ianduno quid dicam? Eos in obſequio retinui, donec una mecum abolitione abſolverentur. Sacerdotes erant juris publici peritiam jactantes, & ſi abſint pravæ opiniones, cætera boni. Et ideo à conſiliis ſemper habui, permiſi eoſdem verba facere ad populum, & pro concione in Ioannem Pontificem detonare; nec inficior hac in parte à me peccatum eſſe. Simulanda tamen multa fuere, quo cauſam meam probarem multitudini, contra iniquiſſimam Pontificis execrationem, impleturam omnes metu, ſi nemo eſſet, qui pro me loqueretur. Cæterum erroribus eorum nunquam acceſſi, aureſque hominum illicitis opinionibus implere prohibui. Si circumvenerint imprudentiam meam, culpa eſt, non crimen. Licuit militari viro impune ignorare theologorum argutias, in quas contemplationem non conjicio. Cætera crimina non excuſo. Interdictum Pontificis violavi, ſacerdotes operari juſſi, ſacrificiis interfui, eccleſiaſtica beneficia contuli, coronam Imperii à nefaſtis accepi. Fruſtra omnia alia expertus in hæc remedia propulſus ſum. Quid enim facerem? repetebatur à me Imperium, fortuna in diſcrimen vocabatur mea, metuebam defectionem populi. Sequitur ergo ut hæc tempori imputes, non animo. Habes tamen confitentem reum. In hæc facinora quære pœnitentiam. Sacras ædes ſi libet extruam, peregrinationes ſuſcipiam, ſtipeſque elargiar; niſi forte eligas cum barbaris præ-

liaturum in militiam mittere. Nihil horum recuſaturus ſum. Quin etiam ſi ita videatur, paratus ſum ante pedes tuos Imperium projicere. Tantum tamen fiduciæ pono in tua æquitate, ut hanc modeſtiam non futuram mihi fraudi exiſtimem.

His lectis Benedictus Pontifex vix tenuit lachrimas. Videbat enim ſupplicem nihil detrectantem, modo Eccleſiæ redderetur. Prolixa igitur oratione hortatus eſt Cardinales conſentire in pacem, ad quam divinis ſtimulis ajebat ſe urgeri. Nihil amplius deſiderare poſſe ab humillimo ſupplice, quem aliena magis nequitia, quam propria indoles abſtuliſſet in naufragium. At illi in Gallorum ſtudia toti conceſſerant. Simulatam eſſe pœnitentiam ajebant. Vbi abſolutus eſſet rediturum mox ad ingenium. Igitur Pontifex tot ſuorum vocibus impar, tum quidem nihil ſtatuit: Sed epiſcopum Megolenenſem in Germaniam deſtinat, qui ſub prætextu Henricum Verneburgium mittendi in poſſeſſionem Moguntini Archiepiſcopatus, in Bavari vitam moreſque inquireret. Ille mandato ſedulò functus, ſplendida omnia de Ludovico referebat: quam pius eſſet in monaſteria, quanta charitate religionis flagaret: quanta modeſtia & integritate ſceptra moderaretur. Pontifex hoc nuncio lætus, Cardinales edocuit, quæ ab epiſcopo didicerat. Sed illi in contumacia perſtabant. Vox omnium erat, inconſulta rebus ſuis pietate fideliſſimos Reges offendi non debere. Interea Cæſareani legati in purpuratis ambiendis ſeduliſſimi, nihil præter ludibria pudoremque referebant. Nec minus apud Pontificem inſtabant. Sed ille ſui juris non erat. Auctoritatem ejus natalium ſordes, morumque ſimplicitas pene ad contemptum depreſſerant. Plerique etiam in illo conſtantiam deſiderabant, quod mortis metu jam teneretur, quam ab initio generoſiſſime contempſerat. Itaque mœrore anxius, quod nullum omnino videret remedium, venientibus ad ſe de more legatis, præparata excuſatione reſpondit divino ſe inſtinctu prohiberi Ludovicum à lite dimittere. Ferunt aliquando ominatum Gallo, pacem quam nollet ab eo receſſuram. Quod magnis cladibus poſtea aſſertum eſt, verum fuiſſe præſagium.

An. M CCC XXXVII. Forte Eduardo Secundo Angliæ regi cum Scotis bellum erat, quibus ſubmiſſa Gallorum auxilia victoriæ regiæ curſum ſtare coëgerant. Indignatus ille per Francos fieri, quò minus fortuna ſua uteretur, compoſita cum Scotis pace, bellum in Galliam transferre conſtituit. Nec deerat cupienti occaſio. Querebatur à Gallo peccatum in fœdera, quod Aquitaniæ arces patri ſuo vi ademptas, contra promiſſa non reſtituerentur. Miſſi igitur illico caduciatores, qui res repeterent, ac non

non reſtituentibus indicerent bellum. Hæc diſcordiæ initia erant, quæ poſtea in tantum provecta ſunt, ut componi amplius non poſſe viderentur, ſine alterius partis exitio: utique poſtquam Eduardus Rex præterita jurgia repetere cœpit, ac vindicare Galliæ ſceptrum; tanquam ex hereditate Iſabellæ matris ipſi deberetur. Cum igitur res ſpectaret ad bellum, utrimque in Germània quærebantur auxilia. Bohæmiæ rex Gallo acceſſerat. Cum Anglo ſtabant Archiepiſcopus Colonienſis, & Brabantiæ Dux, Guilielmuſque Hollandiæ, & Geldrus & Iuliacenſis & Montenſis Comites. Nam ſocietatem armorum Antverpiæ contraxerant. Multæ ſuberant cauſæ ut ne Cæſar quidem hæc fœdera averſurus crederetur. Intercedebat enim illi cum Eduardo rege proxima affinitas. Duas ſorores ſecum matrimonio conjunxerant, Guilielmi Hollandiæ Comitis filias. Imperii fines contrectaverat Gallus. Cameracum urbem occupabat præſidiis, petebatque ſibi Arelatenſe regnum. Quo minus denique Imperator à Pontifice abſolveretur factionis ſuæ viribus rex obſtiterat. Sollicitatus igitur à ſocero Cæſar, ulturuſque tot ſuas injurias, cum Eduardo Rege ſtare conſtituit. Fœdus per legatos his conditionibus Francofurti contractum eſt: ut duo cataphractorum millia Ludovicus in campum educeret, Regis ære meritura. In ſtipendium menſtruum quindecim aureos ſinguli milites acciperent. Poſt alterum menſem aureos viginti. Quadraginta millia in ſumptus belli Cæſar auferret. Deinde ad Philippum Valeſium litteras dedit. Regis titulum non adſcripſerat. Iubebatque illum Imperii finibus ſceptroque decedere, & ſi imperata detrectaret, minabatur ſe pro hoſte habiturum.

His ita conſtitutis delectum habuit: milites per ſigna diſtribuit, & Ratisbonam verſus pergere jubet, in Galliam ut credebatur ituros. Sed re vera hujus urbis proditioni imminebat, iratus civibus, quod Henrico Duci Inferioris Bavariæ ſuſtinuiſſent adeſſe proximo bello. Habebat ædes in oppido mœnibus contiguas, quas hodie Divi Ægidii templum occupat. Hi qui conſenſerant in proditionem perforaverant illic muros civitatis, quà Cæſareani in urbem reciperentur. Cæterum fraus penè ad exitum ſpectans, à civibus detecta eſt, auctoreſque vinculis traditi ſcelus luere ſupplicio.

Eodem tempore Dekendorfii in Bavaria Inferiore, facinus accidit memoria dignum. Iudæi ſacram hoſtiam habebant, ab anicula nummulis emptam; quam in ludibrium vel odium noſtræ pietatis, inflictis vexabant aculeis. Cum ecce ſtillans è vulneribus cruor candorem ejus purpurâ infecit. Deterruiſſet alios hoc prodigium, & ad pœniten-

tentiam coegiſſet trementes. Sed pervicaciſſimi ad ſuperſtitionem, nec conſcientiæ ſtimulis pulſabantur, nec de furore quidquam remittebant. Viſo igitur ſanguine debacchantes atrocius contumeliis, correptam hoſtiam in candentem fornacem conjiciunt. Ibi cum nec violaretur ab ignibus, rurſus erutam, quia jam recocta erat, malleorum ictibus cœperunt contundere non diſſilientem in fruſta. Sed ne ſceleratiſſimum ſacrilegium inter tot prodigia diutius occuleretur, effectum eſt novo prodigio. Miſerabilis enim ejulatus totas illas ædes implens, nocturnos vigiles evocavit ad ſcrutandum, qui eſſent, quidque accidiſſet tanta gementium atrocitate dignum. Itaque propius advolutos, horror corripuit, protinuſque decurrunt ad magiſtratus. Suſpicabantur enim aliquid grande à Iudæis perpetrari. Magiſtratus ad ſpectaculum tracti, & ipſi ad ululatum obſtupuere. Foribus deinde reſerari juſſis, irrumpunt in ædes, viſoque ſcelere, quia immatura erat vindicta, ſupercilium ſuum verbis ulciſcuntur. Poſtera autem die, præcipuos cives convocant in ſuburbanum vicum. Scuchinga nomen eſt loco. Expoſitiſque quæ vidiſſent, in Iudæorum exitium ſtupentes exſtimulant. Igitur tacitè inter ſe conjurant utique poſtquàm quæſtione habita de captivis, omnia ad verum exacta ſunt. Nec multo poſt ad condictum, ſumpto Hermanno Degenbergio duce, Iudæos trucidant. Bona populus diripuit. Hoſtia verò anxiè quæſita à multis, tandem reperta eſt, ſicut adhuc erat in ſuo volutata ſanguine, magnaque in veneratione à populo habita etiamnum religioſiſſime colitur. Vltionem hanc Henricus Dux ratam habuit; quamvis malo more factum eſſet, ut inſcio Principe cives armarentur, & vim publicam inferrent.

An. MCCCXXXVIII. Per eoſdem dies, Bartholdus Buechetius Alſatiæ cœpit gravis eſſe. Amiciſſimus olim Cæſari fuerat. Solus ad Confluentiam obſtiterat, quò minus Gallo faſtigium traderetur, uti memoravimus. Poſtea ad Pontificios defecit, à Ioanne Vigeſimo ſecundo Spirenſi epiſcopatu, deinde Argentinenſi excultus. Quippe Ioannes, Optimatum præcipuos honoribus & dignitatibus extollendo, ſperabat ſe Germaniam habiturum brevi in poteſtate, Cæſaremque poſſe in ordinem redigere. Et hac etiam cauſa epiſcopatuum diſtributionem, collegiis ademptam, ad ſe retraxerat. Itaque Buechetius his beneficiis transverſum actus, & forte necdum ad arbitrium felix, ambitioſo voto eminentiora concipiens, cauſam Cæſaris impugnare cœpit, & ab obedientia ejus cives avertere. Sæpe à Ludovico fuerat citatus; ad præſtandum fidei ſacramentum. At ille hactenus contumaciter detrectaverat,

ctaverat, cauſatus excommunicato non deberi: frementibus Wittenbergicis & Oetingenſibus Comitibus, quod tanto ſupercilio Imperatorem ſperneret. Suadebantque armis cogendum eſſe, operamque ſuam in bellum ſpondebant: Sed jam Argentinenſis conjectus ab amicis in vincula odio partium, multo auro libertatem redemerat, cum Cæſar in Alſatiam venit, componendis motibus, in quos ille populum extulerat periculoſa pietate. Poterat jure Ludovicus iraſci, quod tam malè de ipſo mereretur: Petentem tamen ut colloqui liceret, Columbariam venire juſſit. Ergo introductus in conſpectum, ærumnas ſuas deflere cœpit atque ultionem à Cæſare exigere; Qui tacito gaudio perfuſus, quod tam egregiè plexus eſſet à ſuis: vultum tamen ad triſtitiam compoſuit, dolere ſe ſimulans, promittenſque vindictam. Vrgere deinde eum cœpit, ut ſacramentum quod cæteri epiſcopi dediſſent, idem præſtaret. Ille ſe relaturum reſpondit ad Synodum provincialem, quam ſtatuiſſet ſolicitare, & quidquid ibi decretum eſſet, facturum. Auctor deinde Moguntino fuit ſuffraganeos ſuos Spiram evocare. Iamque conſtituta die epiſcopi convenerant. Hi autem omnino erant: Moguntinus, Auguſtanus, Spirenſis, Padebornenſis, Curienſis, & Argentinenſis ipſe. At vero à Bambergenſi, Wiceburgenſi, Eiſtatenſi, & Baſilienſi acceſſerant legati. Concilio intererat Cæſar quoque. Hic cum fuſè expoſuiſſet, quibus cauſis à Ioanne Pontifice meruiſſet devoveri, & quam ſæpe ille fruſtratus eſſet ipſius deſideria, Moguntinus Argentinenſi magnopere ſuaſit, ut majeſtatem Imperii cum cæteris tueretur. Idem quoque alii precabantur. Ille conſenſu Principum victus, futurum ſe ſpopondit in poteſtate ubi animum Pontificis obſtinatum ad veniam conſtiterit. Non poſſe enim ſe tam injuſta de Benedicto ſuſpicari, quem publica fama haberet ſanctiſſimum. Tum multis quoq; conſultius viſum adornare legationem ſua vota preceſque laturam. Plurimum enim intereſſe, Pontificem intelligere, quid ſentirent ipſi de Cæſare, pro quo tam anxie deprecarentur. Flecti poſſe ad mitiora, ubi Germaniæ conſenſum pervicaciam ſuam damnare viderit. Alii vero contra nitebantur; Cæſar maxime: quid enim, ajebat, à Pontifice exſpectes, qui in Gallia clauſus, & tantum non captivus, regiis imperiis non audet intercedere? Tot illuſtres Principes ad illum direxi, leges quibus in gratiam reciperer, cum præſcripſiſſet mihi, non recuſavi. Innocentiam meam purgare admonitus, non diſtuli. Paratus fui Imperatoris titulum ante pedes ejus projicere. Quid à me amplius deſideret? Nihil tot legationibus profectum, quàm ut Imperii Principes quos dimiſeram,

Gallorum ludibria domum referrent cum repulſa. Rident illi noſtram ſimplicitatem, quod arbitrio regis ſui tam diu torqueatur Germanica majeſtas; quam ſub umbra vacantis Imperii à Pontifice exſpe-ctant: ſicuti nuper Arelatenſe regnum ſuſtinuerunt flagitare. Quærendum potius eſt, qua ratione prætenſum illud Imperii jugum à noſtris excutiamus cervicibus, quàm ad novas contumelias legatos mittere. Vicit tamen illa ſententia quæ in legationem conſentiebat. Nominati deinde epiſcopus Curienſis, & Gerlacus Naſſovius, qui cum his codicillis proficiſcerentur.

Diſcordia Eccleſiæ cum Ludovico Bavaro animos noſtros vehementer exulcerat. Experti enim ſumus quas turbas noſtris potiſſimum provinciis dederit, quasque adhuc datura ſit, vel nemine profitente ex præteritis licet conjicere. Ad avertendum autem hoc incommodum Spiræ convenimus. A Ludovico denique impetravimus, ut in idem ſe concilium conferret. Cum igitur apud illum inſtaremus ut cum Apoſtolica ſede reverteretur in gratiam, modico tempore deliberandi ſumpto, paratum ſe ſpopondit nobis incolumi dignitate in omnibus morem gerere. In eam rem cautio accepta eſt. Rogamus itaque Sanctitatem tuam, ut tam morigerum erga epiſcopos, clementia & venia dignum exiſtimes. Verumeninvero quia prolixum eſſet omnia committere litteris, oratores, quos vides, ire juſſimus, à quibus planiora intelligas. Quærentibus deinde quid futurum, ſi in vanum recidiſſet legatio: decretum eſt, indicto rurſus concilio deliberaturos quid facto opus eſſet.

Legati Avinnionem delati, cum aperuiſſent ſua mandata, urgerentque reſponſum, Pontifex jam non amplius diſſimulans, renuntiate, inquit, mandatoribus veſtris, oppidò mihi ægrè eſſe, quod deſideriis eorum ſatisfacere non liceat. Libertas ſtatuendi quæ velim, propemodum captivo à Gallis erepta eſt. Nuper enim ſcripſit rex, ſi inconſulto eo abſolverem Ludovicum, pejora mihi relaturum, quàm anteceſſores ejus Bonifacio Pontifici feciſſent. Hæc cum dixiſſet gemens, ubertim lachrimæ, doloris indices, cecidere ex oculis. Abeuntibus autem legatis, cum tam triſti reſponſo, Delphinatum Principem enixè rogavit, ut ſecuros eos præſtaret à Gallorum inſidiis, itinera obſervantium, quæ in Germaniam ferebant, ſiſteretque Luſannæ. Ruperto autem Palatino roſam auream deferri juſſit in benevolentiæ ſignum.

Iam fœderati in Inferiori Germania, ad bellum ſpectare cœperant. Brabantus enim Adolpho à Marca Leodienſi epiſcopo clam infenſus

erat;

erat; ex quo Mechliniam urbem, quam ille ſibi emptam cupiebat, epiſcopus Flandro vendiderat. Nunc verò ſuam ulturus invidiam, in prætextum armorum rapiebat, quod Gallorum partes epiſcopus amplecteretur; qui inſigni in Cæſarem contumelia hoſtis quoque eſſe meruerat. Citatus quippe ad Colonienſia comitia, ſine reſponſo nuncium dimiſerat, quaſi Cæſari ſubeſſe dedignaretur. Imperator hac protervia admodum offenſus, filium Ludovicum Brandeburgenſem, miſit cum equitatu, qui pro parte bellum juvaret. Econtra Bohæmus mille quingentos equites epiſcopo adduxit. Sed cum improſpera fortuna uteretur, agere cœpit de concordia, & annitente maximè Colonienſi Archiepiſcopo armatas manus ad pacem revocavit.

Interim legati advenerant quos ad Pontificem miſſos diximus. Hi ſimpliciter omnia referebant: ut ſtudia ſua non preſſiſſet Pontifex cum fletu. in quas anguſtias redactus eſſet miſerrimus ſenex. quantum à Gallo ſibi metueret. quomodo regias ipſi inſidias evaſiſſent. Cum hæc non ſine indignatione audirentur, ſtatim comitia majorum more Renſii indicta ſunt. Ad quæ præter Septemviros, magno numero confluxerunt Optimates. Ventum ad extrema clamabatur. Oppreſſam eſſe libertatem. coaleſcere in ſe Pontificium imperium. Quid deinceps prodeſſent comitia? irent Septemviri in ſuffragia, Romano orbi caput imponerent. Venturum ſtatim Pontificem cum ſuis fulminibus, excuſſurus electum de ſolio quem ipſe non fecerit, qui Gallis diſplicuerit, aut cui alterutrum iraſci contigerit. Approbationem Apoſtolicæ ſedi ab Ottonibus indultam, tractu temporis confirmationem illos vocaſſe, ut ſub eo titulo in vacantis Imperii adminiſtrationem ſubreperent, Iuriſdictionem in Cæſarem uſurparent, quam domini habent in vaſallos. Porrecturos brevi avaras manus ad ipſum Imperium. Quis enim iis adminiſtrationem eripiet, ſi ſemel invaſerint? Nemo tam egregius aſſumetur ad faſtigium quem non excommunicabunt vel rejicent, ne dominandi dulcedinem à ſe dimittant. Occurrendum fuiſſe primis conatibus, quos per diſſimulationem ac patientiam tamdiu aluiſſent. Quem futurum execrationum finem jubentium deponere diadema, niſi hanc ſemel & in perpetuum licentiam fregerint, oſtenderintque Germanicum ſceptrum non donari à Pontifice, ſed à Deo proficiſci. Itaque in hæc molimina quærendum eſſe generoſius aliquod remedium, & conſtantia Germanica dignum, quo Pontifici nihil decedat, Imperio ſua libertas ſervetur. Torpere ultra ſine reipublicæ pernicie non poſſe.

Tunc univerſorum conſenſu lex ſcripta eſt, in hanc formulam:

Cum quidam avaritia & ambitione cœci, peſtifera dogmata in rempublicam inferant, quibus agitatur Imperii tranquillitas : priuſquam malum illud altius invaleſcat, Septemvirorum aliorumque Principum admoto conſilio ſancimus; Soli Deo ſubeſſe Romanum Imperium. Electum Cæſarem à Septemviris, ſive ab omnibus, ſive à majori parte, ſtatim eſſe, nuncuparique Imperatorem ac regem; denique rerum adminiſtrationem conſequi, plenamque diſponendi facultatem, abſque ullâ approbatione, confirmatione, vel auctoritate Apoſtolicæ ſedis. Si quis autem econtra ſenſerit, vel acceſſerit contradicentibus, aut conſtitutionem hanc quoquo modo violaverit, decernimus eſſe reum majeſtatis.

Præter hæc, Principes Electores fœdus ineunt pro tutela libertatis. Nomina eorum ſunt iſta : Henricus Archiepiſcopus Moguntinus, Walramus Archiepiſcopus Colonienſis, Balduinus Archiepiſcopus Trevirenſis, Rudolphus & Rupertus fratres, Stephanus & Rupertus Iunior Palatini Comites Duceſque Bavariæ (Quippe inter Cæſaris filios nepoteſque ex fratre communis erat Electoratus, ut diximus ſupra) Rudolphus Dux Saxoniæ, Ludovicus Marchio Brandeburgenſis. Solus autem Bohæmus aberat. Forte quia cum Gallo conſentiebat: cauſa tamen non traditur. Leges fœderis paucæ fuere : Romani Imperii, & Septemvirorum jura, & privilegia, & conſuetudines, tuerentur. A miniſtris, & amicis vaſalliſque, & civibus, idem officium exigerent. Auxilia invicem Bonâ fide præſtarent. Interdicta & prohibitiones exploderent, à quocumque tandem in contrarium emiſſas. In has leges jusjurandum darent; quas nullo juris beneficio infringerent; non abolitione, non relaxatione, non reſtitutione in integrum; qui contra feciſſet infamis haberetur. Cautum præterea, ut in hanc ſocietatem nemo ſine ſacramento admitteretur, ortaſque ex ea controverſias plurium ſuffragia dirimerent. In hæc verba compoſito fœdere, atque exacto à ſingulis jusjurando, memoratam conſtitutionem ad Pontificem dirigunt cum litteris; quibus ſignificabant, cõpulſos ſe ad fœderis neceſſitatem, quod & ſua, & Romani Imperii jura palam violarentur. Satis conſtare Ludovicum Imperatorem jure electum, & à Ioanne Pontifice importunis fuiſſe petitum fulminibus, quia ſeſe immiſcuiſſet rerum adminiſtrationi citra illius confirmationem. Hoc nullo jure traditum eſſe, & à conſuetudine recedere ſuiſque derogare privilegiis. Ob eam rem indicta fuiſſe Ordinum comitia, & communi conſenſu decretum, Romano Regi poſt electionem, liberam adminiſtrandi licentiam cedere, nec opus habere

bere Pontificis auctoritate. Rogare igitur ut Ioannis ſententia, (ſi tamen ſententia dicenda ſit) cum ſuis fulminibus revocetur; alioqui ſe obſtrictos ſacramenti religione in opportuna remedia inquirere.

His peractis Imperator Francofurtum proceſſit. Comitabantur Septemviri, atque Optimates, & qui præterea comitiis adfuerant; præſentia & auctoritate acceſſuri publicationi ſupradictæ conſtitutionis, quam ibi in populum mitti placuerat. Civibus ergo evocari miſſis, Cæſar aſcendit ſuggeſtum, regii faſtigii habitu inſignis, paucaque verba ad multitudinem in hunc ſenſum fecit. Optimi cives, ego à juventute ſic educatus ſum, ut quæ ad Numinis cultum pertinent, ſemper haberem inter præcipua, & à præſcriptis Eccleſiæ non recederem. Hunc animum non ætas, non fortuna mutavit: neque depoſiturus ſum, priusquam me ex mortalium cœtu amoliatur natura. Inventi tamen ſunt, qui labem hæreſis mihi imponant: quod à Ioanne Pontifice iniquiſſimè fulminatus, flagitanti Imperium non tradidi. Iam tot anni ſunt, ex quo abſolutionem ſollicito, & adhuc conſequi non poſſum, factione eorum qui Imperium meum oblique affectant. Vacuum enim eſſe obtendunt, quia ſine Pontificis auctoritate ingreſſus ſum. Omnia remedia incaſſum expecto, auctoribus Principibus tandem placuit, tot malorum ſtipitem exſcindere. Precemur itaque Deum ut feliciter cuncta fauſteque eveniant. His dictis, Orationem Dominicam cum ſalutatione Angelica, ſymboloque fidei, clara voce recitavit. Deinde lecturum intuens, conſtitutionem vulgare juſſit. Varii animorum motus lectionem ſequebantur. Populus magno plauſu aſſentiebatur edicto. Pontificii patroni econtra marcebant. Dominicani potiſſimum erant & Carmilitæ necnon canonicorum pauci. Ex omnium vultu conſtabat, quantum terroris mente conciperent. Poſtquam vero in exilium ire, aut componere ſe ad præſcriptum legis juberentur, alii ſervire tempori, alii ſolum mutare maluerunt. Plerique Dominicanorum Avinnionem perfugerant. Ibi cum nulla ope juvarentur, mox domum reverſi, damnata Pontificia cauſa, pro legibus acerrimè concionari cœperunt. Solus ex Optimatibus Argentinenſis, de priſtina contumacia nihil remittebat, ſponſionis oblitus quam nuper fecerat. Sed in illum vndique inimici coorti ſunt. Negabantque cives eum ſe pro epiſcopo habituros qui ſacramentum Cæſaris detrectaret accipere. His malis circumventus, hortantibus amicis tandem paruit.

Necdum finita comitia erant, cum Angliæ rex in Brabantiam venit. Præcipuas regni ſui vires coegerat in claſſem trecentarum na-

vium, quæ in Zelandico ſinu ſtabat in anchoris. Protinus autem Francofurtum miſit, qui Ludovicum invitarent ad promiſſa. Sed cum non adeſſet ſtipendium, negavit Cæſar milites ſine ære contrahi poſſe ſub vexilla. Nudis enim alebatur verbis; non habiturus, ſi rixas ſuas componerent æmuli reges, vnde ſumptus poſſet repetere. Eduardum tamen, conſentientibus Septemviris, Vicarium per Germaniam conſtituit, ut ſub eo titulo fas illi eſſet habere delectum, & voluntarios Principes in bellum educere. Cæterum ille mandata ſibi poteſtate abuti cœpit. Iure ſuo in omnes agere, epiſcopis maxime gravis eſſe, qui cum Pontifice ſentiebant. Ea res magnam invidiam conflavit Ludovico. Quippe vndique querelæ Avinnionem deferebantur. Pontifex quidem læto animo acceperat fœdus, quod cum Anglo Cæſar percuſſerat, in ſpem adductus Gallorum impotentiam poſſe frænari. Ferre denique non poterat, tot annorum ſacerdotales decimas, in privata jurgia impendere Philippum regem, quas in ſacræ militiæ prætextum abſtulerat. Sed poſtquam accepit epiſcoporum ſuſpiria, multum à Cæſare averſus eſt; tanquam illius conſilio factum eſſet, quidquid Anglus in Germania peccaverat.

Circa initia menſis Auguſti, prodigioſa locuſtarum multitudo Bavariæ incubuit. Hæc peſtis neſcio unde ex Oriente in Europam delata, poſtquam totam vaſtaſſet Vngariam, inde ſe per Germaniam diffuderat; quam tribus annis continuo vexavit, donec poſtea à volucribus abſumeretur. Iram Dei fuiſſe manifeſtum eſt. Tetrum & deforme animal, nec ea ſpecie qua vulgo conſpicimus. Senos habebat pedes, totidemque alas, quas percurrebant liniamenta penè inſtar litterarum fuligine expreſſa. In fœdo ore dentes recondebantur, duritie & candore notabiles. Tanta ex coitu fœcunditas, ut uno partu viginti ederentur. Hyeme ſe condebant in latebris: adulto vere cælo reddebantur, coibantque in exercitum, novam ſtragem terris daturum. Quoties in loco ubi conſederant, deficiebant alimenta, præmiſſum pridie agmen idoneam regionem ad paſtum quærebat. Sub lucis ortum ſequebatur multitudo, denſiſſimis agminibus. Fama eſt nubium inſtar abſcondiſſe ſolem. Vbi rurſus copiæ ſubſederant in terra, tantiſper depaſcebantur, donec ſolum æque vaſtum ac nudum, aſſueto more abituræ relinquerent. Tantum terrarum ſtipatis corporibus occupaſſe affirmant, ut in ſeptem milliarium longitudinem diffunderentur.

An. M CCC XXXIX. Cæſar hyeme Francofurti exacta Rainerum Geldriæ Comitem in numerum Ducum repoſuit. Guilielmum vero Comitem Iuliacenſem Marchio-

Marchionis titulo exornavit. Anglorum deinde legati ſuperveniunt, petentes iterum militem ex fœdere, vel ſi præſtare Cæſar non poſſet, ut ipſe ſaltem in caſtra ſuccederet, regem illi quingentos milites in cuſtodiam corporis circundaturum. Ad ea Cæſar reſpondit, pactis ſe non aſtringi, quæ prior rex violaſſet, non mittendo in tempore ſtipendium. Mirum multis videbatur quod tam cito recederet à fœdere, variique ſermones audiebantur, arguentium vel laudantium conſilium. Crediderim ſubiiſſe reipublicæ curam, ne turbatis in Germania rebus alienis armis implicaretur.

Quippe in Helvetia Friburgenſes & Bernates alias æmuli, dum hi pro Pontifice, illi pro Cæſare nituntur, ex infeſtis inimicitiis in apertum bellum proruperant. Loupa urbs ad Bernates defecerat. Iordanus Burgenſtainii dominus olim Bernatibus diſcors erat; jamque ſuis proximiores finibus non ferens, ad occupandam Loupam Friburgenſes impulit. Eodem quoque concitante multi in Suevia equites arma induerant cum tota propemodum finitima nobilitate. Paucorum nomina in annales relata ſunt: Neoburgicus, Nidauſus, Antuatius, Valendiſius, Furſtenbergius, Montenachius, clariſſimo omnes genere nati. Convenere igitur ad ſigna. triginta millium exercitus erat. Iamque obſederant Loupam: cum Bernates obſeſſis auxilio accurrunt. Nobilitas ſuis inflata viribus, paucitatem hoſtium in contemptum vertebat, propemodum oblita Suitſicæ cladis quam par fiducia fecerat. Nihil ſanè tutò in bello deſpicitur. Bernates enim beneficio loci adjuti, retulere victoriam. Cecidere ex adverſa acie quatuor & decem Comites, octoginta nobiles, gregariorum militum quatuor millia. Bluenbergius quidam, equeſtri loco in Suevia natus, cum effugere poſſet honeſta morte dedecus redimere maluit. Itaque in confertos hoſtes equum concitans, obrutus eſt telis. Liberata Loupa in Burgenſtainiam arcem victores contendunt, bellique auctorem nihil tale exſpectantem, conficiunt.

Interim Eduardus Angliæ rex proceſſit in campum. Quatuordecim habebat equitum millia, ſexaginta peditum. Præter hos Ludovicus Brandeburgenſis ducentos equites ſecum adduxerat. Mille & quingenti Germani, omnes voluntarii, ſpe prædæ exercitum ſequebantur. His copiis Cameracum obſidit. Gallus ad Peronnam conſederat, egregio & ipſe exercitu ſuccinctus. Tres reges habebat in tentoriis, Bohæmum, Scotum, & Navarrum, cum auxiliis quæ ſinguli advexerant. Eduardus tardam obſidionem fore ratus, ſoluta ea promovit caſtra propius hoſtem, miſitque qui depoſcerent prælium.

Phi-

Philippo ad decertandum avido, trahendum eſſe bellum prudentiores ſuadebant. Non eſt tibi, ajebant, opus prælio, & fortunam temere in diſcrimen mittere. Nihil victor conſequeris præter vulnera & gloriam. Nec enim ideo extorquebis Cæſari Imperium aut Eduardo ſceptrum. Victis autem de regno periclitaberis. Stultitia eſt tentare fortunam, cum ſpes emolumenti, metum damni non compenſat. Incertus eſt belli exitus, nec ſemper ad potentiorem inclinat victoria. Prudentes Duces aperto marte confligere non ſolent, niſi aut neceſſitas coegerit invitos, aut occaſio tardantes invitet. Feſtinatio hoſti, nobis mora utiliſſima eſt. Nulla neceſſitate urgemur ad pugnam. Habemus à tergo integrum regnum, unde & ſupplementum peti re exigente, & commeatus affatim ſuppeditari poſſunt. Siſtamus hoſtem in finibus. Videbis illum mora conſumi, non habiturum annonam in regione, à ſuis pariter noſtriſque vaſtata. Invictum illud robur Germanici militis, ſola poteſt inopia frangi. Senſim defluent à ſignis ſi penuria eos tentare cœperit. Adhæc illorum multi nullis ſtipendiis devincti militant, prædam quam ſperant è tuo regno, ſectantur. Vbi ſe fruſtrari viderint ſpe ſua, uno agmine deſtituent exercitum. Et ſic res noſtræ meliores ducendo fieri poſſunt, deteriores non poſſunt. Cum hæc agitarentur forte aderant legati à Roberto Neapolitanorum rege; qui correpta Philippi manu, mandatum eſt nobis, ajebant, ut deterreamus te à certamine. Robertum enim præſagio admonitum, præliaturo imminere captivitatem. His auditis conſilium ſedit abſtinere à pugna. Et ne hoſtes inde abcederent, tentaturi aliquid, quod imponeret prælii neceſſitatem, Philippus rex modo ſuos arma capere jubebat, modo paratos eſſe in craſtinum. Ita quaſi indies præliaturus ludificavit Anglos, donec bellum in autumnum extraheretur. Interim Germani ſedendo feſſi, cum & annona ſenſim intenderetur, manipulatim diffluebant à ſignis, rariorque indies fiebat exercitus. Tandem & cæteris Germanis fractus eſt animus. Iam enim & pecunia ad ſtipendium defecerat. Ad quam comparandam dilato in ver bello, Eduardus rex in Angliam proficiſcitur. Gandavenſes in itinere hortatus eſt, armorum fœdus ſecum contrahere, promittens ſe reſtituturum urbes, quas à Flandrico corpore Gallus avulſerat. At deterrebat eos jusjurandi religio, pœnarumque atrocitas, quibus Gallo obſtricti erant. Nuper enim ab illo victi, non ſolum pecunia plecti, ſed etiam à Pontifice excommunicari voluerant, ſi iterum deficerent à Franciæ rege. Idque ſacramento ſanxerant. Cæterum Iacobus Arteveldus, homo popularis, & apud plebem gratia potentiſſimus, ad eludendam promiſſo-

miſſorum fidem, Anglo auctor eſſe cœpit, Franciæ titulum inſigniaque præferre. Affirmabat enim ſic fore ut Frandricus populus cum ipſo conſentiens, à Franco non deſciviſſe crederetur. Et quamvis multitudini admodum diſplicuiſſet fraudulenta hæc calliditas: Eduardus tamen rapta ſemel inſignia ſervavit.

Inter quæ Henricus Dux Inferioris Bavariæ fatis conceſſit. Filium Ioannem quem unicum & impuberem reliquerat, fortunarum ſuarum heredem habuit. Tutelæ infantis admotus eſt Cæſar, quam pater ei teſtamento mandaverat.

Nec multo poſt Ioanne defuncto, quæri cœpit in quem tranſiret tam lauta ſucceſſio. Imperator illam ſibi meritò depoſcebat. Duo adulti erant fratres Fredericus & Leopoldus, Ottone Auſtriaco geniti quem pridem quoque fata rapuerant. Hi juvenes materno jure nitebantur, ſeſeque proximos eſſe ferebant. Mater illorum Eliſabetha Henrici Ducis fuerat ſoror. Adolphus quoque Palatinus competitorum numerum auxerat, ex æqua volens parte cum Cæſare ſuccedere, tanquam ingrederetur locum patris, repræſentaretque defunctum. Controverſia ad provinciæ Ordines delata, prævaluit Cæſar. Nam & Auſtriacos jure agnationis, & Palatinum Comitem proximiore gradu vincebat. Itaque ad ſucceſſionem vocatus, Landshutum pergit, exacturus juramentum à civibus. A quibus ingenti gratulatione exceptus eſt, mirè lætis, quòd eum haberent Principem, quem omnibus votis optaverant. Dominicani templa ſua habuerant clauſa, ex quo Henricus Dux poſtremo bello in Ludovicum ſteterat. Nunc autem ſive novo Principi adulaturi, ſive exilium metuentes, ſtatuerunt cum fortuna mutare conſilium, & ad Francofurtenſe edictum ſe componere. Volebant tamen videri coacti, ne ſervire tempori crederentur, aut Superiorum iras incurrerent. Subornant igitur Tekenſem Ducem, qui minaretur Cœnobio faces, ni propalarent ſacrificia. Sed hæc ſimplicitas, quam bene texiſſe credebant, in vulgus erumpens, ludibrio populi eoſdem expoſuit, ut ne Cæſar quidem riſum abſtinuerit cum ad illum tragœdia referretur. Ergo rebus Landshuti compoſitis, Vilshovium digreditur. Vbi inter alia conſtituit, ne in poſterum fas eſſet, adunatam in unum corpus Bavariam, partione ſecare. quiſquis autem intra vigeſimum à morte ſua annum diviſionis mentionem inferret, ab hereditate excluſum volebat. Salubertima ſine dubio lex: Sed à poſteris negligenter habita, magnitudinem domus ita laceravit, ut ſparſæ opes in plures, ingentes titulos vix æquarent. Ipſi denique inter ſe inimici & æmuli, dum potentiæ incrementum,

*An.* M CCC XL.

quod aliunde petendum erat, à ſe mutuo exigunt, alienis injuriis familiam aperuere.

Hunc quidem ſtatum Cæſar provinciæ dederat, cum de Burghuſio contentio exorta eſt. Vrbem hanc Henricus Dux uxori donaverat dotali pacto: negabatque Cæſar ſe paſſurum, niſi pater Ioannes rex Ægram urbem Imperio reſtitueret. Quibus rebus offenſus Bohæmus, filium Carolum dimittit, ſorori auxilia laturum. Sed hæc jurgia priusquam exirent in bellum, transactione ſopita ſunt: ut Burghuſium cederet Ludovico, & Ioanni Regi pleno jure Ægra relinqueretur, quam pignoris nomine hactenus tenuerat.

Hoc anno Nicolaus Ratisbonenſis epiſcopus extinctus eſt in exilio, quod ſibimet indixerat; civibus offenſus erat, quia ſicario ex ædibus ſuis protracto ad ſupplicium, temeratam credebat aſyli ſanctitatem. Hic vir quod apprimè mirum, in hac tempeſtate temporum tam feliciter navigavit, ut & Cæſare familiariſſime uteretur, Pontificis tamen odia non incurreret. Succeſſorem habuit Fredericum, Burggravio Norinbergenſi genitum, vitiis clariſſimum. Cæſar pro eo annixus fuerat, in gratiam patris, bellorum fere omnium comitis; eoque nomine adverſo rumore fuit apud populum. Sed hanc famæ maculam egregio facinore compenſavit.

Quinque habebat nobiles virgines in Gynæceo, quas flagrantiſſima pietas incolendæ ſolitudinis amorem ſubjecerat. Itaque apud illum inſtitere precibus, exiguam ſibi aream in Norinbergenſi ſaltu concedi, ubi ſub vili tecto pudicitiam concrederent. Collaudato eorum propoſito Cæſar monſtrari ſibi locum quem delegiſſent, juſſit. Quo cum perveniſſet iiſdem deducentibus, ipſe ſitus, ſacerque horror, & in alto ſilentio inculta ſolitudo, animum ejus ſuaviſſimo ſtatim terrore percuſſit. Et cum placere ſibi diceret loci genium, negotium dat artificibus, qui magnitudinem areæ circumſcriberent. In ambitu ejus annoſa ſtabat quercus, quæ ignotarum avium dulciſſimo cantu audiebatur perſtrepere. Ergo deſiderio luſtrandi tractus, quæ iſtæ volucres, & unde tam ſuavis modulatio auribus inſolita ſuſtulit oculos in arborem, nulliſque viſis aviculis, notavit ſibi culmini impendere Crucis ſignum. Ergo in genua ſubſidens, erumpentibus præ gaudio lachrimis, gratias Cælitibus egit, quod cœptis ſuis tam propitia commodaſſent auſpicia. Correpta mox falce, primus quercum cædere cœpit, deinde monaſterium ædificari juſſit, cui Puldenreütum eſt nomen. Sumptus quos ipſe contribuit, Norinbergenſium Optimates poſtea cumulavere.

Tanta

Tanta pietas florebat in Regia, ut ſcholam eſſe crederes, in qua virgines ad monaſteria alerentur. Nam & Agnes Cæſaris filia, in Divæ Claræ diſciplinam conceſſit. In hac vitæ auſteritate cum ſanctiſſime exegiſſet tenerrimos annos, defuncto patre à proceribus gentis deſtinatur connubio, ut novas affinitates familiæ inferret. Sed ad nomen nuptiarum puella exhorruit. Poſtea ſecedens in templum, expanſis brachiis amplectitur Sacrarium, in quo Chriſti corpus repoſitum erat, interque preces, & cadentem ex oculis lachrimarum imbrem, pudicitiam ſuam Deo conſecrat, multum precata, ut inviolatum pudorem deferret in tumulum. Sed ecce, res mira dictu, quinque ſtigmata corpori impreſſa ſunt, qualia omnino Chriſtus patiens in Cruce acceperat. Nec multo poſt vitam finiit.

Per idem tempus, Danowerdæ plebs tributorum magnitudinem queſta, in Primores invehebatur, quaſi illi munerum exſortes, totum onus inclinarent in miſeros. Eoque inſolentiæ tumultuantes elati ſunt, ut Bertholdo Neufenio ad agendum cenſum, ſedandoſque motus à Cæſare miſſo, contumaciter detrectarent conferre, niſi Decuriones urbe pellerentur. Ille populari furori impar, cognitionem ad Cæſarem rejecit; qui tunc forte Ingolſtadii agebat. Quo cum veniſſent utrimque delecti, ferociſſimis ex plebe erui oculos jubet: quia inverecundius ſe extulerant. Verſus deinde ad reliquam multitudinem, acriterque increpitam redire domum imperat. Et ſic finem annus habuit.

Primo vere anni M CCC XLI, Eduardus rex petiturus Flandriam, ex Anglia ſolvit cum claſſe, quam armis, viris, cæteroque apparatu inſtruxerat pulcherrimam. Sluſanum portum quà intrare decreverat, obſederant Galli, cum trecentis octoginta navibus, prohibituri ne appellere poſſet ad littora. Sed iis victis, Eduardus navigia egit in portum, Flandroſque victoriæ magnitudine ſtupentes, ad bellum ſecum gerendum concitavit. Procurato deinde vulnere, quod navali prælio acceperat, receptiſque ſubſidiis quæ ſequi juſſerat, in Flandrorum gratiam Tornacum movet. Philippus rex in Atrebatibus conſederat, certus, ſicut ante, non experiri prælio: ſed ſi neceſſitas exigeret, ſubmittere obſeſſis auxilia ſtatuebat. Ergo dum rurſus extraheretur bellum, nec fortuna Anglis omnino ex votis ſuccederet, Philippus non incommodum eſſe exiſtimavit, ſollicitare hoſtes ad fœdera. Sed eum maximè angebat qua ratione inciperet, ne pacis cupidus eſſe videretur. Sororem habebat Ioannam Valeſiam, Guilielmo Hollandiæ Comiti nuptam. Eadem & Reginæ Angliæ, & Imperatricis mater erat. Ab ea facile impetravit, ut mentionem pacis illatura, in adverſa caſtra

*An.* M CCC XLI.

ſtra deveheretur. Callida erat mulier, & non inepta quæ ejuſmodi negotio admoveretur. Ornata denique ex fratris ingenio, ita egit apud filiam, ſpecie officii fingendo pietatem, deſideriumque concordię inter affines, ut Regina non dubitaverit mariti animum dehortari à bello. Sed obſidione Tornacenſi propemodum ad finem perducta, intempeſtiva res Eduardo videbatur, quam deinde caſus adjuvit. Nam Philippus rex propius accedens cum exercitu, furtim commeatu & milite Tornacum inſtruxit. Tunc vero Eduardus conſumpta inutiliter æſtate ante unius urbis mœnia, & ſpe potiundæ jam adempta, auſcultare cœpit uxoris conſiliis, totumque negotium exigenti ſocrui permittere. Condictus ergo eſt locus haut procul Tornaco, ubi de conditionibus ageretur. Convenere illic Bohæmiæ rex, cumque illo aliquot Gallorum Optimates: & ex alia parte Brabantiæ Dux, epiſcopus Lincolnienſis, Geldriæ Dux, & Iuliaci Marchio, cum Ioanne Hannoniæ Comite, qui Anglorum ſocietatem acceperant. Toto biduo altercationibus extracto, cum nihil promoverent de pace, decem menſium inducias condixere. Poſthæc Gallus Cæſarem mulcere conſtituit, & ſimulatione fœderis ab Anglo avertere. Eandem igitur Valeſiam in Bavariam deſtinat, cum litteris, quas illa traderet filiæ ſuæ, blanditiis pleniſſimas, & ut Auguſtæ ſcriptas. Summa earum erat, ſi in pacem Cæſar conſentire vellet, effecturum ſe ut Pontifici reconciliaretur. Quibus promiſſis Imperator lætiſſimus, nec jam dubius impetrari poſſe veniam, fœdus cum Philippo contraxit. Miſſique qui jurarent in leges, & à rege viciſſim jusjurandum acciperent. Dubitantibus pleriſque qui regi à conſiliis erant, an Ludovicus incolumi execratione, recte poſſet appellari Imperator: legati ad has voces indignari auſi, certum eſt, ajebant, diras illas ineptas eſſe, & ſi vos idem non arbitramini, dolo malo invitati ſumus ad fœdera. Ergo nomen Imperatoris Ludovico in Gallia aſſertum eſt, jubente rege, compoſitamque fabulam ſic adornante, ut nemo ſentiret eum ludere. His ita compoſitis Cæſar ſcripſit Eduardo Regi, in hanc ſententiam:

Ludovicus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Eduardo Regi Anglorum, fratri ſuo chariſſimo S.

Hortante me poteſtatem accepi à Philippo Galliæ rege, ut diſſidia veſtra componerem. Si idem mihi arbitrium feceris, non gravabor hunc in me laborem transferre, & quod in rem utriuſq; erit conſtituere. Hortorita que, tranſmittas mandatum, & ne prętermiſeris quod ex utilitate tua potiſſimum eſſe indico. Satis enim conſtat, quam gravis tibi tuoque regno ſit hæc diſcordia, Nec perturbet animum tuum, quod cum Philip-

lippo contraxerim amicitiæ fœdus, & vicariatum Imperii tibi ademerim. Putavi enim tam mihi licuiſſe fama incolumi, ferire te inconſulto pacem, quam tibi me inſcio inducias paciſci. Priſtino interim affectui nihil detraxi, de amicitia nihil libavi. Plenius autem hæc accipies, ex fratre Eduardo Eremitarum Ordinis Sancti Auguſtini Sacellano noſtro, quem ad hoc miniſterium delegi. Eundem poſtquam auſcultaveris, quam celerrime abſolvas, rogo. Datum Francofurti regni anno XXVIII, Imperii XIII.

Ad ea rex in hunc modum reſcripſit:

Sereniſſimo Principi Ludovico, Dei gratia Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, Eduardus Dei gratia Franciæ & Angliæ rex, Hiberniæ Dominus.

Redditæ mihi ſunt litteræ, quibus hortaris arbitrium pacis tibi ſubmitterem. Affectum tuum oppido laudo, gratiamque habeo, quod tam prolixo ſtudio ſolliciteris pro tranquillitate publica. Optandum, ac mihi gratiſſimum foret, ſi tanto auctore detumeſcerent jurgia, quæ cum Philippo Valeſio me commiſerunt. Veruntamen jus, quo mihi aſſero Galliæ ſceptrum, adeo certum eſt & liquidum, ut incerto arbitrio committere non debeam. Probe etiam noſti quanta ille injuria me afficiat. Proinde, pace tua dixerim, ſatis mirari non poſſum, quod amicitiæ nexum cum illo ſtrinxeris, ſoluto fœdere quod mecum ſanctiſſimè contraxeras. Nam quod inſcio te ad inducias feſtinaverim, nec eadem ratio eſt, nec par cauſa. In eo enim ſtatu res erant meæ, ut moram non reciperent. Diuturna obſidione feſſus exercitus diſtribuendus erat in hyberna, & tu aberas procul. Suadentibus itaque Ducibus morem geſſi, quorum bona opera toto hoc bello uſus fueram. Meminiſti denique, dixiſſe te, ſi offerretur pacis occaſio, ne dubitarem accipere, modo omnia tibi integra reſervarem. Et ego ſane nullam ſtatui inire concordiam, priuſquam tecum ſociaſſem conſilia. Mirum præterea pleriſque videtur, tam intempeſtivè mihi ſubtractum eſſe Vicariatum Imperii, quem ex ſponſione retinere debueram, donec vel Franciæ regnum, vel partem ejus inſignem occupaſſem. Hæc quæſo expende exactius, & quod oporteat deinde conſtitue; ſciturus benevolentiæ tuæ parem me gratiam relaturum. Londini anno regni noſtri Franciæ II, Angliæ verò XV.

Hac illi benevolentiæ ſimulatione recedentem in odia amicitiam tegebant. Multum gaudente Gallo; qui à Ludovico citatus ad promiſſa, cum nihil minus haberet in animo, tamen ut videretur procurare, Cæſareanis legatis ſuos adjecit, fictas preces Avinnionem laturos.

ros. Cæterum Pontifex exponentibus mandata extemplo reſpondit, non eſſe è dignitate Pontificia, Ludovicum nunc catholicnm, nunc hæreticum haberi ex arbitrio Galliæ regis. Vulgo jactatum, paſſimque creditum, ſubornatos à Philippo rege Cardinales, Benedictum ad abſolutionem promptum, his conſiliis imbuiſſe. Erat enim Pontifex candidiſſimo ingenio, & incauto ad deprehendendas artes, quibus Purpurati auribus ejus illudebant, inſidiabanturque bonitati. Quippe ex monaſterio protractus ad purpuram, mox inſignem animi ſimplicitatem, & ineptas illi ſæculo virtutes, ad Pontificatum attulerat. Nam & Cardinalibus ſemper aſſueverat, & quoquò illi ſuis artibus impellebant fluctuantem, à Spiritu ſancto ſe agi credebat. Cardinales econtra Gallo obnoxii. Gallus autem faſtigium Germanicum tam altè imbiberat, ut ne tum quidem oblivíſceretur, cum de ſceptro ſuo tantopere laboraret. Iam inſtinctu ejus miſſi erant à Pontifice Clarimontius & Neapolitanus Cardinales in Angliam, qui flecterent animum regis. Sed non ſine vindicta Numinis factum eſt, ut pacem quam ille Ludovico invidebat, requireret impetrare ab æmulo rege. Induciæ tantum in biennium prorogatæ ſunt, ne Anglo quidem ingratæ, quærendis pecuniis intento, atque ex omni parte iter veſtiganti, quà poſſet in Galliam perrumpere. Quippe ſummam victoriæ in eo ſtatuebat, ſi cum hoſte poſſet confligere.

Medio tempore Margarita Maultaſchia novorum tumultuum faces accendit. Hanc Ioannes Bohæmi filius, ſicuti memoravimus, uxorem duxerat, vernantem forma & flore ætatis, anniſque ad communicandos liberos geſtientibus. At ille ſive naturâ impotens Veneris, ſive veneficio contactus, tot jam annis maritus, necdum probaverat ſe virum eſſe. Denique non ſatis compos mentis, ſubinde ſæviebat in miſeram, tenebatque captivam in arce, quaſi vinculo religionis obſtrictam. Mulier tot malis afflicta, dolores ſuos diu diſſimulavit, ne quid durius pateretur. Poſtquam autem maritus cum Carolo fratre profectus eſſet in Poloniam Vngariamque, jungendæ gratia ſocietatis: tunc libertatem nacta, miſerias ſuas apud Palatii Præfectum, & neſcio quem Albertum deponere cœpit. Qui rei indignitate moti, nihil conſultius eſſe ducebant, quàm divortii jure ab illo recedere. Nullum enim eſſe matrimonium cum ſemiviro contractum, nuptiasque eas nefaſtas haberi, quas ſororum filii ſine Pontificis auctoritate feciſſent. Magnopere tamen ſuadebant, priusquam ea novitas proferretur in populum, deligendum eſſe aliquem, qui in ſpem nuptiarum erectus, potentia & viribus aſſereret repudium. Cum id puellæ
admo-

admodum placuiſſet, agitare cœperunt, quis potiſſimum dignus haberetur, in quem fortunæ tranſiret felicitas. Nemo autem aptior viſus Ludovico Brandeburgenſi Cæſaris filio, qui multò ante uxorem amiſerat. Iamque animum ejus explorare ſuſceperant; cum maritus unà cum fratre celeriter accurrit. Quidam enim ei properaverant nunciare quid ageretur, urſerantque ad reditum. Albertus igitur ſtatim correptus, & protractus ad tormenta, totam ſcenam ſtatim aperuit. Præfectus Palatii evaſit fugâ, Margareta in carcerem conditur, duriori cuſtodia aſſervari juſſa. Sed ſtatim exorta eſt Procerum indignatio, miſerantium tam indigne haberi matronam cumprimis honeſtam, & per tot annos necdum virum expertam: denique matrimonio traditam, ut tolleret liberos, paternamque ſucceſſionem in heredes extenderet, quos à ſemiviro non poſſet exſpectare. Fit igitur tacita conjuratio. Quadam die revertenti ex venatione marito, occluſere portas arcis, qui itinera ejus obſervare juſſi erant. Ille in ruſtico latens tugurio, cum perdidiſſet omnium miſericordiam, ſponte in exilium abiit. Alii captum proturbatumque tradunt, ad Patriarcham Aquilienſem habuiſſe perfugium. Tum primum ad Cæſarem miſſi ſunt, qui deſiderium fœminæ ignaro exponerent. Sed hoc matrimonium filio magis quam patri diſplicuit. Abhorrebat enim ille ab omine nuptiarum, quo jura cognationis inceſto polluerentur. Communem quippe numerabant atavum Ottonem Bavariæ Ducem: cujus filia Eliſabetha Mainhardo Carinthiæ Duci nupta, Margaretæ patrem Henricum ſuſtulerat. Ante omnia tamen anxius erat de fama, ne alienum intervertiſſe matrimonium, uxoremque raptu quæſiſſe crederetur. Ad extremum victus auctoritate patris, conſenſit in nuptias. Hoc reſponſo muliercula læta, ſedulò divortio incubuit. Curienſis an Friſingenſis epiſcopus ſolverit priores nuptias, inter ſcriptores ambigitur. Ab Eccleſia tamen ſeperatio facta eſt. Idque Innocentii ſexti tabulæ diſertis verbis enuntiant. Nam quod quidam Cæſarem inſimulant, quaſi ipſe diremiſſet vinculum Imperatoria auctoritate, mera eſt fabula, ex falſis inſtrumentis traducta ab invidis. Neque enim quiſquam veterum hoc illi vitium imputat: Neque etiam Clemens ſextus poſtea objecit: non taciturus utique, ſi quid ejuſmodi peccatum fuiſſet, qui tot vaniſſima argumenta in execrationem immeriti cumulavit.

Procurato igitur ritè divortio, nuptiæ Tirolis celebratæ ſunt pulcherrimâ pompâ. An. MCCCXLII. Nam præter tres epiſcopos, Ratisbonenſem, Auguſtanum, & Friſingenſem, ex omni parte vocati Optimates ad ſolemnitatem confluxerant. Ibi Cæſar Comitatum Tirolenſem ſemiviro,

vivo, quod in verba ejus jurare detrectaſſet, ablatum, Ludovico filio tradidit adjecta Carinthia, quæ morte Frederici & Leopoldi Ottonis Auſtriaci filii, ad Imperium rediiſſe credebatur. Sed hæc donatio exitum non habuit. Alberto Auſtriaco non cedente, favore popularium ſubnixo. Hinc Cæſar Tridentum proceſſit, daturus vicarios terris Eccleſiæ, quia Benedictus Pontifex in ditionibus imperii idem fecerat.

Nec multo pòſt eodem Benedicto è vivis erepto, Clemens ſextus Pontificatum excepit, acerrimus omnium inimicorum Cæſaris: adeoque ejus odio exæſtuans, ut privatus adhuc in concione publica, præſente Philippo rege cum Bohæmo, Barbarum pro Bavaro ſuſtinuerit appellare. Nec ignorabàt Ludovicus proterviam illius. ſpem tamen in Gallo reponebat; qui fœderis & jusjurandi admonitus, ad Clementis inaugurationem filium dimiſerat, pro Cæſare deprecari juſſum. At Pontifex cum patre colludens, & ab illo edoctus quid deberet ſimulare, juveni benigne reſpondit, effecturum ſe ne inanes preces haberentur, ubi Ludovicus veniam flagitaſſet. Sed poſtquam adfuere Oratores à Cæſare, ita contumelioſè habiti ſunt, ut faſtidii impatientes infecto negotio ſe domum reciperent.

Vix illi exceſſerant Curia, cum Pontifex depoſita larva, novis edictis in Ludovicum intonuit, jubens deponere Imperium, & cum Eccleſia in gratjam reverti. Cæſar ab his admonitus, quos habebat illic familiares, quid actum eſſet in Curia, quanta denique inter Pontificem Gallumque intercederent commercia, vix jam dubius, facta hæc non ſine Philippi conſiliis, protinus illi ſignificavit, ut ab ejuſmodi cœptis averteret Pontificem, quem ſciret ex nutu ipſius pendere. Nam ſi quid accideret triſtius, perinde ſe accepturum, ac ſi ab ipſo proficiſceretur. Ex quibus litteris Philippus rex haut tardè conjiciens, Cæſari ſe ſuſpectum eſſe; ut tamen ſimulationi conſtaret fides, Pontifici auctor eſſe cœpit, ceſſaret ab edictis, ſub quorum invidia potiſſimum ipſe vapularet. Periculum enim fore, ne Ludovicus ad inimicitias adactus, fœdus cum Anglo redintegret.

*An.* M CCC XLIII. Ceſſantibus igitur edictis, Imperator in ſpem venit, poſſe & gratiam facilè impetrari. Humbertus Delphinatum Princeps, non modo Cæſari, ſed etiam Philippo regi ſanguine propinquus, pari cultu ab utroque diligebatur. Idem Pontifici amiciſſimus erat. Ab illo Cæſar impetraverat, Oratoris partibus fungeretur. Adjecti ſunt Marquardus Randeckius juris Canonici Profeſſor. Præpoſitusque Bambergenſis, & cum Eberhardo Tommavio Præpoſito Auguſtano, Vlricus epiſto-

epiſtolarum Magiſter. Neque mora, ad Gallum devecti ſunt. Cumque ab eo quærerent, quid Cæſaris abſolutionem moraretur: gratiam non peti ſicuti oporteret, ille reſpondit. Quid ergo, reponunt legati, poſtulat Pontifex? Eaſdem illi conditiones offerimus, quibus olim Benedictus, niſi obſtetiſſent inimici, abſoluturus vinctum fuerat. Si quid in his diſpliceat, præſcribat igitur nobis formulam, ut ſciamus quid facto opus, & quem in modum venia petenda ſit. Ite ergo, inquit rex, & hanc legem deferte Pontifici, faxo ut intelligatis, nec per me, nec per illum ſtetiſſe, quò minus Cæſar à venia exciderit. Digreſſi inde Avinnionem legati, cum mitiora omnia fruſtra tentaſſent, reconciliationis arbitrium Pontifici permittunt. Ille verbis ad humanitatem fictis collaudato Ludovico, quod judicio Eccleſiæ ſubmitteret contumaciam ſuam, conditiones daturum ſe reſpondit. Quippe recuſare non poterat, niſi ut videretur ludificari. Tabulas deinde tradi juſſit. Rigidæ leges inerant, & quas Ludovicum putabat recuſaturum: quarum hæc erat ſumma. Titulum Imperii deponeret non reſumpturus, niſi Pontifici videretur; fateretur ſe peccaſſe reſcinderet acta; veniam flagitaret; Henrici ſeptimi ſententia aboliretur; liberum eſſet Pontifici ſi quas præterea vellet hiſce legibus conditiones adſcribere. Cæterum Imperator ita conditionibus aſſenſus eſt, modo ipſi Imperium redderetur. Stupebant Cardinales ad hunc conſenſum, non Pontifex modo. Perplexum eſſe diffidentia ajebant, & de ſuorum civium fide dubitare. Perſuadere enim ſibi non poterant, ſolius abſolutionis deſiderio in hæc pacta Cæſarem deſcendere. Cœperunt ergo extrahere promiſſa. Legatiſque urgentibus Pontifex referebat, plures ſe velle conditiones prioribus adjicere. Illi ut exhiberet, inſtabant, negabantque ſe abſque reſponſo redituros domum. Quorum pertinacia victus Pontifex alteras tabulas exſpectantibus exhibuit, in hanc formulam: Quæcumque Imperatorio regioque titulo geſta eſſent, invalida haberentur. Pontifici tamen liceret ex mera gratia confirmare. Nullam in patrimonio Eccleſiæ patroni prærogativam Ludovicus vindicaret. Ne conjungeretur cum hoſtibus Eccleſiæ, aut ſi quos Pontifex haberet ſuſpectos. Ne ullo titulo vel colore contraveniret privilegiis Eccleſiæ. Vaſallos ejus non impugnaret. Si adverſus ea feciſſet à Pontifice poſſet deſtitui. Abdicaret vaſallos Eccleſiæ, quos vel ipſe, vel Henricus Septimus ſuſcepiſſet in clientelam. Titulo Imperatorio vel Regio nihil ſtatueret, inconſulto Pontifice, nihil mandaret. Impetrata abſolutione, Imperium adminiſtraret ex mera gratia, & benevolentia Pontificis, Principes Prælati, Barones Imperii has leges

ges ſacramento ſancirent. Et ſi quid obſcurius cautum eſſet, ad ſolum Pontificem ſpectaret interpretatio.

Hiſce tabulis ad Ludovicum perlatis, ipſe quidem non dubitavit ſubſcribere: Sed jam oportebat Principes in eaſdem leges jusjurandum dare. Ita enim ſub ſpecie ſecuritatis caverat Pontifex, vel quod ſciret eos non conſenſuros, vel ſi conditiones reciperent, utique præjudicio fore, quo in poſterum ſibi arrogare poſſit liberam adminiſtrationem. Itaque Cæſar ſtatim Principibus, civitatumque conſiliis exempla diſtribuit, juſſitque adeſſe Francofurti, ubi comitia eſſet habi-
An. MCCC XLIV. turus. Cæterum Septemviri, cæterique Pincipes, priuſquam Francofurtum accederent, Coloniæ privatum habuere conſilium. Ibi tabulas diligenter expenſas in tria diſtribuere capita, quibus examen commiſſum fuerat. Primo, ajebant, poſtulare Pontificem, ne Cæſar attingeret adminiſtrationem Imperii, donec ipſe ex mera gratia eandem conferret: deinde irrita eſſent geſta, donec idem confirmaret; denique ſi Cæſar in promiſſis deficeret, poſſe illum à Pontifice deſtitui. Hæc eſſe fundamenta Imperii, nupera etiam lege ſancita, quæ Pontifex oblique convellere niteretur. Nam ſi ex gratia adminiſtrationem conferre, actaque irrita confirmare poſſit: Ergo adminiſtratio ad illum pertinet. Nemo enim gratiam ejus rei facere poteſt, in quam non habet poteſtatem. Ergo Cæſari ante approbationem adminiſtratio non competit: alias acta non eſſent irrita. Ergo non pendet Imperium immediate à Deo: ſed à Pontifice: quia abdicare ei imperatorem licet. Secundo poſtulare, ne quam prærogativam Imperator uſurpet in terris Eccleſiæ. Quid igitur ſi defenſione egeant, belloque ſit opus? non licebit illi amovere rebelles, aut ſuſpectos magiſtratus? non collationem civibus indicere? non aurum coronarium exigere, quod majorum more ſemper uſitatum eſt? Tertio poſtulare, ut Cæſar jus retractet, quod Henricus ſeptimus uſurpaſſet in vaſallos Eccleſiæ. Illud eſſe captatorium valde, meritoque ſuſpectum. Henricum ſeptimum ſeparaſſe patrimonium Eccleſiæ à ditione Imperii. Clementem Quintum ratam habuiſſe diviſionem. Timendum ſane ne Pontifex, adverſus pacta, diviſionis controverſiam habeat in animo, qua Imperio aliquid detrahat. Nam quod omnium inverecundiſſimum eſt, ſi quid obſcurius ineſſet hiſce tabulis, uni ſibi interpretationem ſervavit. His auditis una omnium vox fuit, tabulas illas eſſe noxiſſimas, & incolumi ſacramento, quod Imperio feciſſent, non poſſe ſignari.

Poſtquam igitur Francofurti ventum eſt in concilium, juſſus eſt Wigkerus Archiepiſcopi Trevirenſis Protonotarius, (hodie Cancellarium

rium appellant) Principum ſententiam depromere. Is igitur procedens in medium hoc modo Cæſarem affatus eſt: Pontificis tabulæ Coloniæ nuper à Septemviris, cæteriſque Principibus ſedulò excuſſæ ſunt. Viſumque omnibus libertatem infringere Germanici ſceptri: neque te neque ipſos in fœdiſſima pacta ſalva jusjurandi religione poſſe concedere. Magnopere igitur orant, ut quid eis è republica videtur æqui boníque conſulas. Charior ipſis conſcientia eſt, quam in cujuspiam gratiam, tam vili ſervitio rempublicam ſubjiciant in poſterorum infamiam. Statuerunt autem Pontificis animum deflectere ab ejuſmodi conatu. Renſiique habere comitia, deliberaturi, ſi ille contumax pergeret eſſe, quo potiſſimum modo reſiſterent. Cum ille peroraſſet, delegati civitatum ſuffragium rogati ſeceſſere paulisper è concilio, ut inter ſe negotium conferrent. Mox regreſſi, nefas ſibi eſſe retulerunt, à decreto Principum recedere, & ſi armis opus eſſet, libertati ſe non defuturos. Collaudata Cæſar illorum fide, dimittens concilium, converſusque ad Septemviros cæteroſque Optimates, Renſii intra octiduum præſto eos eſſe jubet.

Convenere illic frequentes. Iam quoque Bohæmus aderat. Sed tam feliciter cœpta auſpicia cæcus ille omnino turbavit. Tirolenſem provinciam filio ademptam non ferens, invidiam omnem in Cæſarem congerebat. Aliena illum turbaſſe matrimonia. Concitaſſe in maritum procaciſſimam fœminam, quod caſtigatione verberum, ſicuti mos eſt, legeſque concedunt, ſexus ſui meminiſſe admoneretur, ac patrifamilias reverentiam deferre. Viro deinde penatibus excluſo, atque exulare adacto, procuraſſe divortium, ſub infami ſpecie frigiditatis; ut dotalem provinciam cum adultera in ſuam domum transferret. An ergo fas Cæſari Principum connubiis illudere? liberis ſuis uxores ex raptu quærere? aliena bona invadere? Quid ergo ſacrum, quid ſanctum, quid ſuum quiſque poterit dicere, ſi tantum Imperatori liceat? Timendum eſſe omnibus exemplum, tranſitumque facturum, niſi maturarent prævertere. Cum hæc, atque ejusmodi, modo apud ſingulos, modo apud univerſos vociferaretur, adeo exacerbati ſunt quorundam animi, ut fœdere inito adverſus Cæſarem, in mutuam defenſionem ſeſe obligarent: auctore potiſſimum Ruperto Palatino, qui ſe de Ludovico ulciſci volebat, ex alia cauſa illi infenſus. Quippe cum Archiepiſcopo Moguntino de Wanhemia urbe judicio contendens, præcipitatâ Imperatoris ſententiâ de poſſeſſione exciderat.

Ergo inter tot privatas turbas ac factiones, nihil in ea cauſa agebatur, pro qua Comitia indicta fuerant; Cæſare maximè annitente

 amoliri

amoliri à ſe atrocitatem invidiæ, qua famam ſuam videbat proſcribi. Itaque Principes edocebat, nihil ope ſua factum, quod uxor à viro divertiſſet. Sanctè affirmare poſſe, ignarum ſe fuiſſe negotii, quoad marito in exilium acto, à muliere rogaretur ſuadere filio, in repudiati thalamum ſuccedere. Bohæmum igitur perperam queri, quod ſolutam viri poteſtate ſententia judicis, alterique nupturam, filio uxorem dediſſet, ſuum reparaturo matrimonium. Liberas enim eſſe nuptias, & ſuam quemque fabricare fortunam. Bonique patris officium eſſe liberis bene conſultum velle. Iuſta ſit, an injuſta divortii cauſa, non eſſe ſibi reddendam rationem. Credere tamen juſtam eſſe, pro qua judex rite & civiliter pronuntiaſſet. Si tamen Bohæmo eſſet ſuſpecta, non recuſare, quò minus ab Archiepiſcopo Trevirenſi cognitio retractetur. Mirantibus Principibus ad tam ingenuam fiduciam, quod etiam Trevirenſem judicem ſuſtineret eligere, adeo æqua viſus eſt poſtulare, ut & Bohæmum quoque puderet intercedere. Quis enim dubitaret, ſi ad liquidum non eſſet deducta veritas, pro nepote patruum non eſſe dicturum? Cæterum ille excuſſo negotio, rectè judicatum pronuntiavit. Hac ſententia Cæſar lætiſſimus, quamvis ſuſpicionibus eximeretur, Bohæmo tamen placari cupiebat. Hortantibus utrimque amicis ut de Tiroli deciderent, tranſactio facta eſt, ea lege, ut Bohæmo Cæſar Luſatiam traderet, cum viginti millibus Marcarum argenti, & donec ea ſumma præſtaretur, tria oppida Principatus Brandeburgenſis pignori eſſent, quæ placeret Regi eligere. Sed hæc conditio Carolo Bohæmi filio admodum diſplicuit, palam obteſtans, cæcum & prodigum ſenem, liberorum bona non poſſe diſſipare. Tirolim enim ægrè demittebat, quam rebus ſuis commodiſſimam noverat rex tunc Imperio imminens. Siquidem Philippus Galliæ rex ſenſim edoctus, quàm ægre poſſet efficere Pontifex, ut Septemvirorum ſuffragiis ipſe aſciſſeretur, in eam ſpem Carolum erexerat, viribus ejus pro arbitrio uſurus. Pontifici quoque auctor fuerat, ut potiſſimum ille ſubveheretur. Patri denique perſuaſerat in hanc conſentire fœlicitatem. Quamvis enim Bohæmus poſt noviſſimam transactionem Cæſari hoſtis eſſe deſierat, non invitus tamen audiebat, in domum ſuam reverti fortunam, quæ Ludovico detraheretur.

An. M CCC XLV. Cæterum Imperator cum turbatis à Bohæmo Renſianis comitiis non ſucceſſiſſet Principum legatio, ipſe quidem Humbertum Delphinatem cum Oetingenſi Comite ad Pontificem dimiſerat, orare juſſos, ut mitigarentur noviſſimæ tabulæ, quà maximè Imperio officerent. Ea enim nec à ſe præſtari poſſe, nec à Principibus impetrari. Quibus auditis

ditis Clemens iram non tenens, ergo me decepit? inquit. Faxo intelligat, non impunè Pontificibus illudi. Itaque non modo ſpem omnem abrupit veniæ, ſed præterea in eo vertit omnes curas, ut de faſtigio ſupplicem excuteret.

Dies erat Cœnę Domini ſacer, cum apud populum concione habita atrociſſimis verbis in Cæſarem efferbuit. Proclamabat hæreticum & ſchismaticum eſſe, dignumque ſuppliciis, quæ in ejuſmodi reos leges ſtatuiſſent. Deinde Ioannis Vigeſimi ſecundi diras omnes rurſus in calamitoſam innocentiam evomuit, minaturque Septemviris ni aliud caput Imperio quærerent, facturum ſe quod res exigeret. Nec intra verba ſtetit ferocitas animi. Ingenti fiducia rem adortus eſt. Cum Gallo, cum Bohæmo & Carolo conſultabat frequens, qua potiſſimum ratione inciperent. Ardua enim res videbatur. Opus erat plurium ſuffragiis, maxime vero Moguntini auctoritate, qui citaret collegas ad comitia. Nec Moguntinus in hæc propudia videbatur poſſe perpelli, Ludovico chariſſimus, Caroloque infenſus, quia Epiſcopatum Pragenſem juſque coronandi Bohæmiæ regem à ſede ejus avulſerat. Cæterum callidior Pontifex, Henricum Verneburgium dejecit de cathedra, tanquam pollutum contagione ſceleris; quod cum Cæſare haberet commercium. In locum vero illius Gerlacum Naſſovium factionis ſuæ ſatellitem ſubſtituit. *An. M CCC XLVI.*

Cæſar interim admonitus quam inclementer in ipſum dixiſſet Pontifex, furoremque illius ſuſpectans, denique non ignarus, quantum rebus ſuis conduceret Palatinos Comites non habere infeſtos, de integro reſumpſit quæſtionem propter quam ipſum averſabantur; ablatamque poſſeſſionem iiſdem reſtituit. Et ſic quidem illos ſibi mitigavit. Sed Moguntini indignationem incurrit; qui ſuis iris litaturus, Pontificis gratiam impendio ambiebat. Fœdiſſimæ illi conditiones dabantur; quas cum detrectaret accipere, Cæſari rurſus ſe applicuit; cujus auctoritate & viribus, à poſſeſſione Archiepiſcopatus, æmulus removeretur.

Poſt hæc Carolus patre conſentiente, leges accepit, quibus jugo Pontificis Imperium aſtringeretur. Erant autem potiſſimum iſtæ: Henrici Septimi ſententiam reſcindito. Si quæ controverſiæ inter Gallos Imperiumque orirentur, arbitrium ad Pontificem deferto. Auxilio illi adeſto adverſus Ludovicum Bavarum. Ejuſdem Bavari acta reſcindito. Eccleſiæ Romanæ ditiones tuetor. Romam ne adito diadematis cauſa, ante diem à Pontifice præſcriptum. De Henrici Septimi ſententia diligentiſſime ſemper cavebunt Pontifices, quâ ſibi

ille in Neapolitanum regnum juriſdictionem aſſeruerat : impenſe ſolliciti ne quid relinqueretur, quod poſſet deinceps controverſiam efficere. Cum econtra Carolus non animadverteret, quantum illud eſſet præjudicium, litium arbitrium Pontifici deferre, quod deinde in judicium verteretur. Sed occæcaverat animum Imperii cupiditas: nulla reipublicæ cura dummodo ipſe in honorem ſuccederet.

Sed nunc tota res in eo vertebatur, quo modo Electorum ſuffragia venarentur. Nam præter patrem & patruum, cum Gerlaco Naſſovio, nemo erat de cujus fide non dubitarent. Walramum Archiepiſcopum Colonienſem & Rudolfum Saxonem pretio tentari placuit. Alteri duo Marcarum argenti millia, alteri octo oblata ſunt, & honeſtum fidemque uterque infra pecuniam habuit. Palatini Comites, neſcio an & pretio ſollicitati, ab his tamen novitatibus abhorrebant.

Iam Pontifex diſtributis per Germaniam litteris admonuerat Septemviros cæteroſque Principes abdicatum eſſe Ludovicum Bavarum, aliumque ſe Imperatorem flagitare. Iam quoque Acronenſem epiſcopum in Germaniam direxerat, qui Trevirenſem, & ſi quis præterea Septemvirorum hæſiſſet cum Ludovico, abſolveret à vinculo excommunicationis, ut ſine vitio ſuffragia ferrent. Itaque maturum viſum adornatum facinus adoriri. Quatuor omnino erant Electores, Colonienſis, Trevirenſis, & cum Saxone Bohæmus, quibus ſe Naſſovius applicuerat, tanquam & ipſe Septemvir haberetur, quia vanum nomen Archiepiſcopi adferebat. Inſignis titulus ſceleri præferebatur, parendum eſſe Apoſtolicis mandatis; quæ tamen ipſimet ſuperioribus comitiis tanquam Imperio peſtilentiſſima, damnare ſuſtinuerant. Francofurtum non placebat ire. Satis enim conſtabat, cives pervicaci favore Ludovici imbutos, aditum in urbem non daturos. Igitur Renſii coeuntes, Carolum appellant regem, atque inde Aquisgranum deducunt, ut majeſtatis inſignibus excoleretur. Cæterum cives portas ſuas tenuere clauſas, paratis ad defenſionem animis. Longa videbatur obſidio, & importuna. Siquidem Engelbertus à Marca Leodienſis epiſcopus, in quem ſui cives armabantur, apud Carolum inſtabat pro ſubſidio. Promptiſſimus hic ad ſeditionem populus, ſuiſque Principibus ſemper diſcors, nec minus animoſus ad bellum, dominationis vim intendi, detractumque aliquid privilegiis civitatis videri voluerat.

Inauguratione igitur in occaſionem dilata, Carolus Leodium proficiſcitur cum inſigni equitatu, quem Luxenburgo acceperat ditionis ſuæ. At Leodienſes adventu ejus hautquaquam territi, erumpunt ex oppido, & primo ſtatim impetu Carolinos pavore correptos in fugā conjiciunt.

Horum

Horum omnium ignarus Cæſar, ſecure in Tiroli agebat, Ludovicum & Stephanum filios ſecum habens. Tridentum adire decreverat, cum Maſtino Scaligero, & Ludovico Vngariæ rege neſcio quæ colloquia, habiturus; cum ad eum litteræ perveniunt, quibus admonebatur, admotum eſſe Carolum faſtigio, & quomodo, & à quibus eſſet electus. *An.* M CCC XLVI. His lectis quamvis vultu animoque turbatus, vix tamen fidem habebat. Incredibile ei videbatur, tantam rem adeo repente & occultè potuiſſe tranſigi. Converſus deinde ad filios, quid ſcriptum eſſet oſtendit. Obriguere illi ſe mutuo intuentes. Tum Cæſar, abſit, inquit, ut credam, Trevirenſem & Saxonem, tam veſana feciſſe. Triginta duorum annorum illibata amicitia mihi conjuncti ſunt. Nullos denique in comitiis expertus ſum, qui meam Imperiique cauſam conſtantius egerint. Quod inimicum fatum tam repente eos rapuiſſet in hanc amentiam, ut nulla injuria laceſſiti, caput meum invidioſe proſcriberent? Deinde mente in ſe revocata nonnihil conticiſcens, age ergo, inquit, ſi Imperium mihi Deus perditum velit, hanc quoque ruinam fortiter feram, exſpectaturus quid de me fata deinceps decreverint. Vbi vero gliſcens fama non permiſit amplius de flagitio dubitare, protinus deſcendit in Bavariam, & quid ſpei in amicis reliquum eſſet explorare inſtituit. Comperta autem ſingulorum voluntate univerſos Spiræ adeſſe juſſit. Convenere illic inter cæteros legati frequentes civitatum quæ libertatis nomen induerant. Nemo erat qui non arbitraretur electionem Caroli nullam eſſe; quam clam & fraudulenter feciſſet paucorum factio, ſine publica neceſſitate, ſine reipublicæ utilitate, non in loco quo mores jubent, non in tempore quo vacaret Imperium. Fas non eſſe vivo & invito Cæſari alium ſubſtituere inconſultis Ordinibus. Multo minus licere Pontifici abrogare Imperium. Idque ſuperioribus comitiis cautum. Igitur Renſianum illum conventum non poſſe legitimum haberi; factionem fuiſſe non comitia. Vbi vel amor in ſuos, vel improba largitio, & ſua quemq; cupiditas transverſum egerit, ubi denique dolus malus concilio interceſſerit. Marchionem Brandeburgenſem fraude præteritum. Palatinos Comites callide neglectos, quorum erat in eo rerum ſtatu, cum de Moguntino Archiepiſcopatu controverteretur, habere comitia. Henrico Verneburgio quæſtionem dignitatis inverecunde motam, quod Clementis furoribus adverſaretur, nolletque Imperii libertatem, juraque Majeſtatis Pontifici prodere. Iubebant ergo Cæſarem bono eſſe animo, & ſi quid ultra Carolus moliretur, aut res in bellum excederet, ſua arma certatim offerebant. Hac legatorum conſtantia Imperator hilarior, benevolentiæ eorum gratias egit, dimiſſoque concilio,

lio, adhuc incertus quid æmulus inciperet, nihildum movere conſtituit. Pleriſque mirantibus quod de inimicis ſe non vindicaret. Quippe Iohannes Bohæmiæ rex Carolusque filius, iter in Galliam inſtituerant cum copiis, laturi opem Philippo regi, à quo feſtinare juſſi fuerant.

Iam enim Eduardus rex in media tonabat Gallia, & Franci diutius non poterant differre certamen, cum intra viſcera hoſtes recepti, ulterius ſemper progrederentur, & aliam poſt aliam urbem redigerent in poteſtatem. Nec multo poſt in Creſciacis pugnatum eſt campis acerrimo prælio, in quo Bohæmiæ rex cecidit. Vir ſine dubio magnanimus, inſignisque bellator, ſed jam oculis captus, & in ipſa quoque ſtupendus cæcitate. Cum enim ſtaret in extrema acie, audiretque ad Anglos inclinare victoriam, converſus ad ſuos, quos ſecum paucos habebat (Nam præcipuas ejus vires Carolus filius in pugnam abduxerat) agedum, inquit, quo me præcurrere videbitis ſequimini ſtrenue, nec quiſquam veſtrum aut me aut ſocios deſerat, ego vos viciſſim non deſtituam; aut fortiter hodie vincendum, aut honeſte cadendum eſt. Nec ſecus fecit, ac dixerat. Quippe ab Henrico Monacho nobili Baſilienſi, & Henrico Clingenbergio, quos habebat itineris directores, edoctus, quà procurrendum eſſet, concitat equum, infeſtaque haſta in hoſtem evectus, à victore multitudine opprimitur. Eduardus certe rex virtutem quoque in hoſte admirari ſolitus, morti ejus ingemuiſſe *dicitur*. Carolus filius conclamatis rebus profugit ex acie, in qua ſe ſtrenue geſſerat, tribus vulneribus corpore exceptis.

Inde in Germaniam reverſus, præcipuas cœpit obire civitates, ut ſacramento ejus imbuerentur. Sed nemo intra mœnia recipiebat venientem. Miro in illum civium odio, tanquam viliſſimum Pontificis mancipium; vulgoque nuncupabant ſacerdotum Imperatorem, faceto per ludibrium vocabulo. Quidam etiam in Pontificem audebant contumelioſe invehi: hominem eſſe ſuperbum, & turbidum, nihil Ioanne meliorem. Quam enim ille timide licentiam tentaſſet, hunc ſuſtinuiſſe ferociter uſurpare. Minæ, execrationes, mandata, contemptum omnium, riſumque incurrebant, cum ſcandalo publico & periculo Eccleſiæ. Nihil enim ad ſchiſma quam idoneus auctor novitatis deerat. Nemo amicorum Cæſaris ad hoſtes defecit. Ex Proceribus Marchio Miſnenſis. Ex civitatibus imperialibus Baſilienſes fluctuavere. Illum Carolus pecuniâ corruperat. Hos Epiſcopus cum nobilibus, quibus Monachorum nomen eſt, ad Carolum trahebant. At conſenſu & concordia cæterarum urbium victa civitas ad extremum acceſſit Ludovico.

Nihi-

Nihilominus Carolus inaugurationis avidus, rurſus Aquisgranum petebat. Pauci ex epiſcopis comitabantur: Trevirenſis, & Leodienſis, & Monaſterienſis, Metenſisque, & Virdunenſis, & Gerlacus Naſſovius, Gallicarum omnes aut Pontificiarum partium Optimates. Profanorum Principum intererat nemo præter familiarium turbam. Ac ne tum quidem Aquisgranenſes ullo honore dignati ſunt urgentem precibus; quamvis etiam vires ad cogendum adeſſent. Fiduciam eis dabat, hinc Adolphus Palatinus, inde ex Hollandia Margareta Cæſaris uxor, propius admoventes exercitum, ne qua vis tentaretur. Carolus ergo Coloniam progreditur, atque ibi pari contumacia excluſus, Bonnæ tandem coronatus eſt.

Cæterum Margareta Guilielmo fratri nuper à Friſiis cæſo, in fortunam ejus ſucceſſerat. Dives habebatur hereditas. Quippe Hollandiam & Zelandiam Friſiamque & Hannoniam uno imperio conjunxerat. Illa filio Alberto Hannoniam traditura, provinciæ Ordines adverſos habuit propter juvenis ætatem gerendis rebus necdum idoneam. Accitus igitur ex Bavaria Guilielmus natu major, ne pateret hoſtium inſidiis, ſervili veſte contegitur, & à Catznelenbogii ſatrapa Francofurti Cæſar ad ſe perductum, in Hollandiam pergere jubet. Eo igitur in poſſeſſione conſtituto, Margareta, ad maritum rediens, legatos Anglicos obviam habuit. Petebant illi ut Cæſar novo fœdere Regi ſuo jungeretur. Satis illum conſtabat, tot ludibriis & contumeliis à Gallo affectum, injurias ſuas non donaturum. Nec ægre Ludovicus conſenſit in pacem, rebus quoque ſuis commodiſſimam. Fracto enim Gallo, nihil erat, quod ſibi timere deberet ab æmulo, habiturus Anglum in partibus. Miſſi igitur Rupertus Palatinus, Walframus Nellenburgius Teutonici Ordinis magiſter, & Ludovicus Oetingenſis Comes, qui cum rege paciſcerentur. Ipſe autem conceſſit Viennam ad Albertum Auſtriæ Ducem, ne quid ab illo moveretur. Sciebat enim habuiſſe conſilia cum Carolo Bohæmiæ Rege; qui in omnem partem intentus qua Cæſari poſſet nocere, anno M CCC XLVII prorepſit in Tirolim plebejo habitu, tribus admodum comitibus ſtipatus. Inde verò concedens in fines Italiæ, exercitum excepit, quem Lucinus Vicecomes, Maſtinusque Scaliger, & Carrarienſis Pataviæ rector hortante Pontifice venienti inſtruxerant. Quippe Itali fide dubii, atque ex ſucceſſu pendentes, ſemper eo inclinabant ſtudia, quò fortunam ire videbant. Conclamatum putabant de Cæſare iiſdem fere viribus ſubnixo, quibus olim Fredericum vicerat. Ludovicus Brandeburgenſis aberat procul, Pruſſicis armis diſtrictus.

*An.* M CCC XLVII.

ſtrictus. Et hanc occaſionem Carolus rapuerat, facilem ſibi promittens victoriam, ſi imparatam provinciam ex improviſo adoriretur, muliebri tutelæ commiſſam. Nec primum ejus impetum fortuna deſtituit. Feltrii ſtatim & Bellunenſes venere ultro in poteſtatem, annitente Patriarcha Aquilienſi, Pontifici & Bohæmis obnoxio. Meranum & Betzanum oppida igne abſumpta. Itum inde ad Tirolim arcem, ſitam in præcipiti & abrupta rupe, commeatu & munimentis inſtructiſſimam. Huc Margareta Maultaſchia audito belli ſtrepitu conceſſerat, obſidionem ferre certa, donec maritus adventaret è Pruſcia; Qui periculo uxoris cognito, nihil moratus, omiſſis barbaris in auxilium properat. Conjunctis igitur cum patre copiis, ſimul ambo in hoſtem proficiſcuntur. Horum adventum Carolus non auſus opperiri, corripiensque fugam, inſequenti Ludovico Brandeburgenſi terga ſua cædenda præbebat. Curienſis epiſcopus in velitatione exceptus eſt. Carolus felicius, quàm honeſtius evaſit. Fœda tamen hæc fuga contemptum fecit omnibus ſui. adeo ut Trevirenſis quoque non erubuerit fateri, malo omine electum eſſe, cœptiſque ſuis adverſari fata Ludovico propitia.

Sub idem tempus Nicolaus Gabrinus, ſeu quocumque alio nomine dictus (quippe variant Scriptores) Romæ tyrannidem invaſit. Vir ex infima plebe, ſine tribu, ſine nomine, niſi quod ipſe ſibi aſſumpſerat. Cæterum ingenio ſolers, lingua facundiſſimus, animum quoque ſupra genium illius ſæculi humanioribus litteris poliverat. His dotibus inſtructus, ſenſim aſſurgere, popularem auram captare, criminari ſenatum & Optimates, quaſi ſub tyrannide haberent rempublicam, collationibus & tributis multitudinem conficerent. Stultiſſima deinde vanitate jactare, Imperium orbis populi Romani eſſe, qui ſuo nomine & libertate totam complecteretur Italiam. Non potuiſſe populo ſine comitiis dominationem eripi, & à Pontifice in Germanos transferri. Proinde ſi viri eſſent, repeterent à prædonibus Majeſtatem, & quaſi poſtliminio in Vrbem referrent. His & ſimilibus prodigiis in concionibus furens, ignaras plebis aures adeo imbuerat, ut in admirationem ſimulatæ virtutis, ſummum illi in Vrbe imperium deferretur. Tantâ poteſtate multo veſanior, ſenatorum alios trucidat, alios pellit, & aperta tyrannide in omnes graſſatur, nobilitati potiſſimum infenſus. Nemo audebat obſtare furenti. Multitudo militum quos adhibebat ad corporis cuſtodiam, parem omnibus metum incuſſerat. Multæ quoque civitates & propemodum tota Etruria cum illo hærebat; tanta omnium veneratione ut nihil niſi divino ſpiritu aggredi

gredi crederetur. Nam & Pontifici diem dixerat, intra quem ſe deberet Romam recipere. Ludovicum & Carolum ad ſe citari juſſerat cum Septemviris, rationem reddituros, cur in faſtigium populi Romani jus ſibi poteſtatemque arrogarent. Cum tot tantiſque impune inſultaret ludibriis faſcinata plebs ſuos oculos ſenſim aperuit. nobilitas quoque induit arma, diſcordiá denique in urbe exorta eſt. Itaque tot malis circumventus fanaticus ille, inſciis omnibus, ſumpto monaſtico habitu, profugit ex Vrbe. Captus deinde à Carolo Bohæmiæ rege, inditis vinculis ad Pontificem perducitur.

Sed Carolus interim non quieſcebat ab armorum conſiliis. Reparaturus enim dedecus fugæ, delectum in Bohæmia inſtituit, quo bellum in Bavariam transferret. Præterea in Suevia, decem & octo nobilium præcipui, ſua illi arma obtulerant. His imperatum erat, ut ipſo è Bohæmia moto, laceſſerent Imperiales civitates, quo vires hoſtium diſtraherentur. Nihil his Cæſar commotus, Stephano filio in Sueviam miſſo, venientibus ipſe Bohæmis in Nortgoja occurrit. Quocumque Carolus obſidionem circumtulerat, oppoſitis ipſe armatis avertebat. Protracto igitur in hunc modum bello, cum neuter fortunam prælio committeret, Bohæmus occupat Haizſtainiam arcem, prodente Cammeravio præfecto; negare auſo vel fidem ſe vel beneficium Ludovico debere. Et ille quidem fuga ſupplicium evaſit. In conſcium tamen, ſive frater ille fuerit, ſive amicus, ſtrictus eſt gladius, territurum exemplo ſuo ne quis ejuſmodi conſilia ſupprimeret.

At vero in Suevia Stephanus fœderatarum urbium copiis præfectus, Hechlingam in deditionem accepit. Poſtea Zultio admovit exercitum. Waltero Geroltſekio parebat Zultium, uni ex conjuratis. Sed Wittenbergenſis Comes cauſam ejus ſtatim amplexus eſt, cui ille in clientelam tradiderat. Tum plures ſe contribuere rebellibus, futurumque videbatur non tralatitium bellum, ni fortuna ſubito cuncta mutaſſet.

Furſtenveldium Cæſar profectus erat, operam venationi daturus valetudinis cauſa. Ibi ægritudinis indicia præſentiens, maturius ſurrexit de convivio, quod tunc hoſpitibus inſtruxerat lautiſſimum, proceſſitque in ſaltum, ut ventris tormina agitatione diſcuterentur. Cæterum in perſequendo urſo apoplexia correptus eſt, cumque decidiſſet ex equo, verſis ad Deum precibus extemplo extinguitur. Plerique credidere veneno necatum. Ioannamque Feretanam conjugem Alberti Auſtriaci in crimen ſubſtituunt; quæ compoſitis in Alſatia rebus rediens domum, & à Cæſare hoſpitaliter excepta, noxiam tabem potio- Vid. Olden.

ni indidiſſet. Sed utcumque hæc tradita ſint fidem tamen non præſtant. Quis enim credat perpetratum à muliere parricidiale facinus quæ nullam habuit cauſam ut faceret, nec emolumentum ex cæde conſequi poterat? Quis ſanæ mentis occidit gratis? Aut ſe vult ulciſſi, aut alium, aut commodum ſpectat. Inimicitias nemo eſt qui poſſit oſtendere aut præmium cujus cupidine tantum facinus credatur admiſſum. Quibuſdam ſuſpectum fuit quod Cæſar in convivio queſtus ſit de dolore, & illa domum equo revecta ſit ſubito; quæ ante curru uti conſueverat. Et hinc fabulam invaluiſſe exiſtimo, vulgi rumoribus agitatam deinde tranſlatam in annales à ſcriptoribus, qui ad omnes mercurios creduli, vera à falſis non diſcriminant. Sed quam ſæpe fama mentitur? Veterum tamen ſcriptorum nemo tam conſtanter facinus affirmat, ut non inſinuet ſe dubitare. Cæterum defuncti corpus in proximum detulere monaſterium, qui venantem comitati fuerant. Inde autem Monachium tranſlatum, in templo B. Virginis deponitur. Maximiliani Electoris poſthuma pietas ſplendidiſſimo Mauſolæo ſepulchrum exornavit.

Poſtquam vero & Ludovicus, & qui eum oderant, eſſe deſierunt, invidia in gloriam vertit. Nemo enim amplius dubitavit Imperatoris titulum defuncto adſcribere quem inimici vivo detraxerant. Sanè non modo Eugenius Pontifex, ſed & Concilium Baſilienſe Romanum Imperatorem appellant. Luculentum indicium ſequentem ætatem nihil penſi feciſſe Ioannis & Clementis execrationes, cujus cauſas poſtea Theologorum ac Iuriſconſultorum ſcholæ non timuerunt damnare. ſaris fatum Occamus prævenit. Secutus illum Vlricus Auguſtanus cognomine Hagenor. Ludovici fuit epiſtolarum Magiſter, vulgo tunc Protonotarium appellabant, nunc Cancellarium dicimus. Virtute & fide in aulâ inclaruerat litteris egregie excultus & par negotiis quibus plerumque adhiberi conſueverat. Is Pontificis iras veritus, ne exuviæ maneſque violarentur, in profano loco condi voluerat. Sed Henricus Sconeck Auguſtanus epiſcopus juſta illi fieri juſſit.

A0b AG 7476